DE RATIONE QVAE INTER GLOSSAS GRAECOLATINAS ET GRAMMATICORVM LATINORVM SCRIPTA INTERCEDAT

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

MAXIMILIANVS HOFFMANN

MEININGENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMVII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 29. Juni 1907.

Professor Dr. Pierstorff,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS OPTVMIS

SACRVM

§ 1. De glossis Graeco-Latinis, quas Georgius Goetz in volumine secundo corporis glossariorum Latinorum edidit, disputaturus priusquam ad rem ipsam accedam, paucis complectar, quae idem vir doctus (C. Gl. L. vol. II praef. XX s.) et Gustavus Loewe (prodr. p. 214 ss.) de his glossis exposuerunt. Glossae Graeco-Latinae falso Cyrilli esse dicuntur; neque enim glossarium ab illo viro scriptum esse eo effici potest, quod 'in calce quorundam Cyrilli scriptorum inventum' est, cum ceteroquin nullam habeat cum eo rationem. Itaque exemplum virorum doctorum secutus in mea dissertatione auctori glossarii Pseudocyrillo nomen esse volui. Nusquam illae glossae solae exstant, sed semper cum aliis glossis in codicibus coniunctae leguntur. Quorum codicum praestantissimus est Harleianus 5792 saeculi VII, cui ita cedit auctoritate Laudunensis saeculo IX exeunte in Gallia scriptus, ut prae illo contemnendus sit (cf. C. Gl. L. II praef. XX ss.), cum reliqui libri ab Harleiano dependentes et recentioris aetatis et inutiles sint. Aegre ferendum est, quod in A littera lacuna non parva invenitur, cum inter ἅλιξ *hoc allex, singulariter tantum declinabitur* et ἀνδράχνη εἶδος λαχάνου *portacia* permultae glossae interciderint: nam desunt vocabula ab ἀλκ, ἀλμ, ἀλο, ἀλυ, ἀλω, ἀμα, ἀμβ, ἀμε, ἀμη, ἀμι, ἀμω, ἀμπ, ἀμυ, ἀμφ, ἀνα incipientia omnia. Quam lacunam librarii recentiorum codicum supplere studebant; nec tamen fieri potuit, ut pristinam formam recuperarent. Haec de glossario ipso praemoneo.

Quodsi quaerimus de huius glossarii fontibus, ad quos illustrandos velim etiam mea disputatio valeat, incipiendum esse mihi videtur a verbis, quae Georgius Goetz de bilinguibus glossis in encyclopaedia reali (ed. Pauly-Wissowa) in universum posuit: 'Das Fundament dieser Glossare ist doppelter Art. Sie entspringen entweder dem Bestreben der Grammatiker, die Eigentümlichkeit

der lateinischen Sprache durch Vergleichung mit der griechischen in klare Beleuchtung zu setzen, oder dem praktischen Bedürfnis der Spracherlernung'. Quae cum ita sint, item in fontibus inquirendis duo nobis genera distinguenda sunt. Ego quidem quamquam mihi proposui hac dissertatione tantum prioris generis fontes tractare i. e. artes grammaticas quasdam, quae Graeci sermonis rationem habent, cum glossario graecolatino comparare, tamen prius quam ad hanc ipsam rem veniam, paucis ea complectar, quae de fontibus in universum dicenda esse videntur.

Postquam iam dudum Goetz et Loewe de origine glossarum Graeco-Latinarum quaesiverunt, nuper idem Georgius Goetz in eo capite encyclopaediae realis quod supra commemoravi quaecumque studia hominum doctorum effecerant breviter recensuit, quo meliorem auctorem hac in quaestione retractanda sequi non possum. Liceat vero mihi ad illius expositionem pauca addere et eius verba nonnullis exemplis confirmare.

Glossarum lemmata cum Graeca sint, consentaneum est nos in illorum fontes inprimis oculos convertere. Atque primo aspectu auctor glossarii, quem graece loqui consuevisse verisimillimum est, ex Graecis fontibus videtur hausisse, praesertim cum glossae litterarum ordine bene dispositae sint et multa lemmata Latinis interpretamentis omnino careant. Quae interpretamenta ne levitate librarii intercidisse putes, obstat ipsa lemmatum copia, ut opinor; at duas causas proferre possumus, cur Pseudocyrillus haec vocabula, quae haud dubie ad fontem Graecum spectare videntur, consulto non explicaverit. Etenim accidere potuit, ut in glossario componendo nonnulla Graeca lemmata auctori in mentem venirent, quae, ne exciderent, statim litterarum ordini inseruerit, sed postea latine vertere oblitus sit: nec minus fieri potuit, ut interpretamentum Latinum, cum in tempore non in promptu esset, omitteret. Lemmatum de quibus agitur exempla haec subicio: C. Gl. L. II 253, 29 *ἄφλογος*; 255, 40 *βαλλαντιοτόμος*; 258, 18 *βλίτον εἶδος λαχάνου*; 263, 45; 264, 31; 265, 45; 266, 12; 273, 33; 277, 44; 278, 35; 281, 16; al. Etsi nonnulla horum lemmatum Graecorum (cf. C. Gl. L. II 406, 6—9) corruptelae deberi videntur, tamen permagnus numerus facile tibi persuadebit auctorem a Graeco fonte pendere. Quod ut eo probabilius videatur, etiam plurimae glossae plenae efficiunt, quarum interpretamenta Latina plus quam unum vocabulum continent et sine controversia ex lingua Graeca

in Latinam versa sunt. Ut mittamus ea interpretamenta, quae per vocabula *non* aut *sine* fiunt (cf. C. Gl. L. II 215, 3 ἀβαρής *non gravis*; 215, 4 ἀβαρές *non grave*; 215, 14 ἄβιος *sine vita*, 217 10 ἄγραφον *sine scriptura*, 218, 37 ἀδιαλείπτως *sine intermissione*; 232, 22 ἀορίστως *sine fine*, alia), hic omnes eae glossae respiciendae sunt, quarum interpretamentum Latinum ex verbo et adverbio (II 244, 44 ἀριστεύω *fortiter facio*), ex verbo ac nomine (II 235, 58 ἀπογαλακτίζω *lacte depello*), ex nominativo et genetivo nominum (II 215, 38 ἀγαλματοποιός *fictor simulacri*), ex substantivo et adiectivo (378, 35 ξυλών *haec cella lignaria*), denique ex adiectivo verboque (217, 13 ἀγριαίνω *ferum facio*; 244, 47 ἀρκεῖσθε *contenti estote*) componitur vel constat ex praepositione cum vocabulo aliquo coniuncta (217, 44 ἀγχίαλος *iuxta mare, prope mare, litoreus locus*), aut ablativo genetivoque qualitatis (235, 25 ἁπλόθριξ *recto capillo*, 320, 40 εὔχρους *boni coloris*). — Haud minus illae glossae fontem Graecum indicare possunt, quarum interpretamenta ex Graeco sermone in Latinum recepta sunt (ut C. Gl. L. II 219, 47 ἀθλητής *athleta*, 242, 38 ἀποχή *apocha*, 243, 49 ἄραξ τὸ ὄσπριον *arax*). Cum igitur dubium non sit, quin tales glossae ad originem Graecam pertineant, apparet nobis esse exquirendum, quae necessitudo glossarum et lexicographorum Graecorum effici possit. Inter quos inprimis Hesychius et Suidas comparandi sunt, nec 'Cyrillus' neglegendus est, cuius ex scriptis et ad Hesychium quem nunc habemus et ad alios multa migraverunt. Duo quamquam indicia habemus, ex quibus fortasse conicias glossarii auctorem exemplum Cyrilli vel Hesychii vel Suidae secutum esse, tamen et vocabula litterarum ordine disposita minimum consensum praebent neque ea lemmata, quibus praeter interpretamentum Latinum etiam Graecum additum est, paucis exceptis ad illorum hominum scripta revocari possunt. Omnino paucae ex magno numero glossarum proferri possunt, quas et Pseudocyrillus et lexicographi simul nobis tradunt: C. Gl. L. II 258, 18 βλίτον εἶδος λαχάνου, Hesychius βλίτον λαχάνου εἶδος; II 347, 55 κέπφος εἶδος ὀρνέου = Hesychius et Suidas κέπφος εἶδος ὀρνέου; II 352, 52 κομήτης ἀστήρ = Hesychius et Suidas: κομήτης ἀστήρ, II 360, 18 λῆμα τὸ φρόνημα = Hesychius et Suidas λῆμα φρόνημα; 218, 16 ἀδέκαστος ὁ ἀδωροδόκητος *edecumatus* = Hesychius: ἀδέκαστον ἀδωροδόκητον = Suidas: ἀδεκάστως, δικαίως, ἀδωρο-

δοκήτως, ὀρθῶς; 220, 46 αἶρα ἥτις ἐν τῷ σίτῳ εὑρίσκεται *lolium,* Cyrillus (M. Schmidt, Hesychii Alexandrini lexicon vol. III p. 358) αἶρα ἡ τοῦ σίτου; 227, 21 ἀνθηδὼν εἶδος σφηκός *vespa,* Hesychius ἀνθηδὼν ἡ μέλισσα; 231, 17 ἀνυπόστατον τὸ μὴ ὑφεστός *sine substantia,* Suidas: ἀνυπόστατον ἀντὶ τοῦ ἀφόρητον; 262, 55 γέρδιος ἤτοι ὑφάντης *textor,* Cyrillus (M. Schmidt, H. A. L. vol. III 351) γέρδιος· ὑφάντης; 334, 29 καθαιρῶ ἐπὶ τοῦ καταστρέφω *destruo,* Cyrillus (Reitzenstein, Geschichte der griech. Etymologika p. 83, 3) καθαίρεσις· καταστροφή. Quibus exemplis allatis satis habebimus dixisse ex consensu harum glossarum necessitudinem certe artiorem inter Graeca lexica notissima et has glossas non apparere. Atque primo obtutu mirum videatur, quod glossarium graecolatinum, quo maius exstat nullum, glossas perpaucas praebet, quae ad fontem Graecum pertineant. Quam tamen rem desinemus mirari, si consensum Pseudocyrilli et grammaticorum Romanorum exstare perspexerimus. Itaque ut mittamus glossas quae Graecae originis sunt, nunc eas glossas tractemus quas Latinam prosapiam prae se ferre certum est. Inprimis hic illae glossae enumerandae sunt, quarum interpretamentum Latinum modo duobus Graecis lemmatibus (ut C. Gl. L. II 240, 33 ἀπόσησμα ἀποσινίασμα *retrimentum,* 267, 39 δεκὰς ἤτοι δεκανία *decuria*) modo lemmati Graeco composito respondet (ut II 223, 20 ἀκόντιον μακεδονικόν *sarisa,* 227, 14 ἀνὴρ Ῥωμαῖος *Quiritis*). Quibus illae explicationes vocum asserendae sunt, quibus Graeca lemmata aucta sunt variis additamentis Graecis grammatici generis (cf. II 480, 19 ψευδὴς ἀρρενικῶς *falsus, mendax,* 480, 20 ψευδὴς θηλυκῶς *falsa;* 392, 32 παλαιός *vetus, vetustus, cascus* et 392, 33 παλαιὸς ὑποκοριστικῶς *vetulus;* 297, 10 ἕν ὄνομα *unum,* 297, 11 ἐν πρόθεσις *in*) sive nominis cuiusdam genetivo (C. Gl. L. II 252, 10 αὐχὴν ἀνθρώπου *cervix, vertix;* 252, 11 αὐχὴν πλοίου *gubernaculum*) vel substantivo et adiectivo (II 248, 20 ἀσπὶς ληστρική *citra,* 248, 21 ἀσπὶς ἱππική *parma*) vel explicatione (II 426, 7 πυκτεύω *pugillo* et 426, 8 πυκτεύω ἀντὶ τοῦ μάχομαι *pugno*). Quibus vel magis originem prodere videntur eae glossae, quarum vocabula Graeca ab auctore ex lingua Latina translata esse ipsa re apparet (cf. II 258, 57 βοτάνης εἶδος φαρμακευτικῆς *aconita;* 301, 39 ἑξάκισχιλίων ἀνδρῶν τάγμα *legio;* 385, 67 ὁ πρὸ τῆς παρεμβολῆς τόπος *procastrium*). Ex his et similibus exemplis certum fit magnam partem glossarum graecolatinarum glossemata

esse latinograeca inversa. — Eodem spectant plurima synonyma, quae in nulla fere pagina desunt (ut exemplis utar: C. Gl. L. II 364, 35 *μάλιστα maxime, potissimum, praesertim*; II 344, 48 *καταφαγᾶς nepa, comisator, vorax, comesor* e. q. s.), quae et ipsa ad fontem Romanum pertinent.

Quae cum ita sint, non sine gaudio inveni fragmentum Macrobianum (cf. Keil, Gr. L. vol. V p. 655) exstare, cuius glossae cum Pseudocyrilli verbis congruunt: de quibus Georgius Goetz in fine 'commentatiunculae Macrobianae' diligenter egit: ex quo libello cognosci possit profecto glossemata bilinguia exstitisse, quae auctori nostro maximo usui in glossis graecolatinis componendis fuerint. Quamquam nescio utrum hoc fragmentum ipsum quod cum glossario tam mire consentiat pro fonte habendum sit an communem fontem subesse dicam, quem ad nos non pervenisse aegre ferendum sit. Eodem fragmento Macrobiano utemur in quaestione, quo saeculo Pseudocyrillus glossas composuerit, quo de sic iudicat Goetz l. s. s.: „Ueber die Zeit der Entstehung oder letzten Redaktion lassen sich nur Vermutungen äussern. Zu beachten ist, dass einerseits Macrobius benutzt ist und dass der Cod. Harleianus, der die Quelle der übrigen Handschriften bildet, ins 7. Jhdt. gehört, man wird also nicht über das 6. Jhdt. hinausgehn.“ Sed haec hactenus: nunc ad graviora pergam et glossarium cum grammaticorum latinorum scriptis comparabo.

§ 2. Cum inter omnes, quorum praecepta Pseudocyrillus referre videtur, Charisius principem locum obtineat, primum de huius grammatici scriptis pauca dicam. Cuius quidem ars grammatica iam saepe a viris doctis tractata est (cf. Goetz: Flavius Sosipater Charisius, in encycl. reali ed. Pauly-Wissowa III 214 ss.; Ludwig Jeep: Zur Geschichte der Lehre von den lateinischen Redeteilen bei den lateinischen Grammatikern, Lips. 1893; Carolus Marschall: De Qu. Remmii Palaemonis libris grammaticis, Lips. 1887), ut nihil novi afferre, sed breviter tantum ea, quae viri docti exploraverunt, reddere possim. Flavium Sosipatrum Charisium medio saeculo quarto p. Chr. n. aetate floruisse verisimillimum est. Ipse inprimis tres auctores nominat, quorum libros se inspexisse profitetur; hi autem sunt: C. Iulius Romanus, Cominianus, Qu. Remmius Palaemon. Quod ad C. Iulium Romanum attinet, illae partes, quae ex eo fluxerunt, hac in re tractanda parvi momenti esse videntur, quamquam

Charisius permulta praecepta illius exhibet. Quodsi Carolus Marschall in dissertatione Lipsiensi quam supra commemoravi Iulio Romano tantum honorem tribuit, ut ex verbis huius grammatici Palaemonis artem restitui posse existimet, longius progressum eum censeo. — Transeamus ad Cominianum, cuius de scriptis sola Charisii ars nos edocet (cf. Keil, Gr. L. I praef. p. XLVIII 12 ss.; Goetz sub Cominianus in encycl. reali ed. Pauly-Wissowa). Cuius disserendi ratione se in eam opinionem adduci affirmat Keil, ut eum valde antiquum grammaticum fuisse neget et librum suum non doctis hominibus, sed pueris destinavisse putet. Quod quamquam probamus, tamen hac in quaestione praetermitti non potest, quoniam sententiae eius in his capitibus ipsis efferuntur, quae ad fontem glossarum graecolatinarum illustrandum pertinent, ut de adverbio (Gr. L. I 180, 28—181, 15), de praepositione (I 230, 4—32), de coniunctione (I 224, 24—225, 4), de interiectione (I 238, 19—22), aliis. Aegre ferendum est, quod non plenius excerptus est a Charisio. — Restat ut de Qu. Remmio Palaemone agamus. Postquam viri docti de eius scriptis multum disputaverunt, iam Palaemonem Charisii inter omnes constat ipsum illum vetustum grammaticum fuisse, qui Tiberii et Claudii temporibus fuit et artem composuit (cf. Schottmueller: De C. Plinii Secundi libris grammaticis, diss. Bonn. a. 1858; Jeep, Redeteile p. 7 adn. 2; C. Marschall, diss. Lips.; Keil 'Deutsche Literaturzeitung 1888 No. 16' p. 592). Carolus Marschall in dissertatione sua Remmii artem grammaticam ex scriptis Charisii restituere studebat. „Die Eigentümlichkeit Palämons in dem Ausdruck", ut Keilii verbis utar, „in der Terminologie und in der Behandlung der Grammatik (loquendi consuetudo, docendi et disserendi ratio) und die Uebereinstimmung des Charisius mit anderen Grammatikern, welche aus derselben Quelle geschöpft haben, dienen ihm als Führer, um zu beweisen, dass bei weitem der grösste Teil des Werkes — nur das 4. Buch wird ausgenommen — aus Palämon entnommen sei" (Deutsche Literaturzeitung l. s. s.). Sed ego censeo perinde ac viri docti Keil et Goetz (cf. Charisius in encyclopaedia reali ed. Pauly-Wissowa) Carolum Marschall longius processisse, cum ex affinitate Cominiani et Romani, qui quin cum Palaemone coniuncti sint nemo dubitat, effici vellet illam artem plane restitui posse. Quamquam igitur non omnia, quae Marschall disseruit probamus, tamen illius viri

docti opus ea in re, quam quaerendam mihi proposui, maximi momenti est, imprimis si de necessitudine Palaemonis, anonymi Bobiensis, Diomedis, Dosithei agitur. Quibus de grammaticis pauca mihi addenda sunt.

Inprimis anonymus Bobiensis (cf. Keil Gr. L. I 533 ss.; Jeep, Geschichte der Lehre von den Redeteilen p. 16 ss.; Goetz, Anonymus Bobiensis in encyclopaedia reali ed. Pauly-Wissowa) hic neglegi non potest, cuius excerpta cum Charisii praeceptis ita congruunt, ut diu excerptor ex illius arte grammatica hausisse diceretur, cum nunc omnes viri docti, etsi anonymus tota effata Charisii proferat et eundem ordinem servet, tamen Charisii artem fontem illi homini non praebuisse, sed duo scripta ad eundem auctorem referenda esse inter se consentiant. Quem aut Remmium Palaemonem ipsum aut quendam discipulum ab eo pendentem fuisse verisimillimum est. Hae autem discrepantiae, quibus affinitas duorum grammaticorum refutatur, ad annotationum originem quaerendam pertinent, ut nullo modo facere possimus, quin earum rationem habeamus. Tales vero differentiae hae fere sunt: primum anonymus in exemplis afferendis modo plura addidit quam Charisius modo plura omisit: ut exempla proferam, in his excerptis non invenimus haec nomina a Charisio commemorata: *stercus, hic limus, elegantia, siser, ludi, loculi, plerique, plures, penates, singuli, superi, Nonae,* alia. Deinde idiomata nominum composuit, quam collationem in Charisii scriptis quae nunc exstant desideramus. — Restat ut Diomedis et Dosithei mentionem faciamus. Etsi Diomedes (cf. Goetz: Diomedes in encyclopaedia reali ed. Pauly-Wissowa V 827; Jeep, Redeteile) linguae Graecae comparandae magnam vim non tribuit, eius libri grammatici cum Charisio saepius consentiunt, id quod nobis proderit. Neque vero Diomedem exemplum Charisii secutum esse statuere possumus, quamvis maxima consensio utriusque grammatici exstet. — Dosithei denique opus nos docet, qualis fuerit fons communis omnium horum hominum doctorum; quamquam in illius viri arte tractanda respiciendum est ibi Graecam versionem exstare, tamen censeo in eis capitibus, quibus de adverbiis, coniunctionibus, praepositionibus e. q. s. agitur, interpretamenta Graeca ad eundem fontem cum Charisii scriptis revocanda esse. Atque inprimis ex eis verbis, quae Charisius Gr. L. I 292, 16—19 exhibet et quae Remmio Palaemoni

assignat Marschall (*cum ab omni sermone Graeco Latina lingua pendere videatur, quaedam inveniuntur vel licentia ab antiquis vel proprietate linguae Latinae dicta praeter consuetudinem Graecorum, quae idiomata appellantur*), satis efficitur, quanti Palaemon Graecam linguam ad artem grammaticam comparandam aestimaverit, ut verisimillimum esse mihi videatur fontem horum grammaticorum i. e. Palaemonem etiam multo plures glossas latinograecas praebuisse. Proximis igitur paragraphis singula capita Charisii, quae ad fontem Pseudocyrilli quaerendum spectare videntur, pertractabo.

§ 3. 'De observationibus nominum quibus genera et numeri discernuntur': ita inscribitur caput undecimum libri primi Charisii, a quo initium dissertationis meae faciam. Primum enim hac de parte agere mihi proposui, quia eae glossae, quae hic respiciendae sunt, e ceteris eminere videntur. Haudquaquam in glossario graecolatino illae glossae rarae sunt, quae annotationem de numero et genere nominum factam ostendant: ut exemplis utar: C. Gl. L. II 355, 33 *hoc crocum pluraliter non declinabitur et neutrum est* — II 326, 28 *haec mors, hoc letum singulariter tantum declinabitur* — 257, 25 *vis plurale non habet* — 248, 33 *facetiae pluraliter tantum declinabitur* — 316, 27 *facetiae singulare non habet.* Inspiciamus igitur quot glossae Pseudocyrilli apud Charisium et anonymum Bobiensem inveniantur et quantum hac in re dilucidanda valeant. Qua in re Charisii ordinem sequar, ut primum de masculinis, femininis, neutris semper singularibus, deinde de eisdem semper pluralibus, tum de elementis, metallicis, eis, quae mensura constant et quae numerari non possunt agam easque inprimis glossas enumerem, quae omni modo cum his duobus grammaticis congruunt (cf. Keil, Gr. L. I p. 31—36, 548—551).

Masculina semper singularia: C. Gl. L. II 324, 13 ἧλος *clavus, singulariter tantum declinabitur* (Gr. L. I 32, 1 + 548, 3); — II 363, 5 λύθρος *cruor, sanies; cruor sing. tant. decl.* (Gr. L. I 32, 1); — II 461, 19 τύχη ἑκάστου ἀνθρώπου *hic genius sing. t. decl.* (I 32, 2). Hic additur in glossario vocabulum ἀνθρώπου, anonymus nullum Graecum interpretamentum nisi τύχη tradit. — Nunc sequantur feminina semper singularia: C. Gl. L. II 426, 53 πώγων *haec barba sing. t. decl.* (Gr. L. I 32, 4) — II 295, 24 Ἑλλάς *gregia sing. t. decl.* (Gr. L. I 32, 5 *haec Graecia*) — II 348, 61

κηκίς galla sing. t. decl. (Gr. L. I 32, 5 + 548, 7); — II 449, 4 *συφεός haec arra s. t. decl. et est femininum haec arra* (Gr. L. I 548, 7 *haec hara συφεών*); — II 382, 14 *ὄλισθος lapsus, labes s. t. decl. et est femininum* (Gr. L. I 548, 8 *haec labes*); — II 316, 23 *εὐγένεια generositas, prosapia sing. t. decl.* (Gr. L. I 548, 10 *ἡ ἐκ προγόνων εὐγένεια* cf. C. Gl. L. II 323, 47); — I 548, 10 Gr. L. *socordia ἠλιθιότης* in glossario non invenitur. — Item neutra semper singularia: C. Gl. L. II 225, 7 *ἄλιξ hoc allex sing. t. decl.* (Gr. L. I 32, 8 *alicum et alice ἄλιξ*; I 32, 8 + 548, 12 *hoc allex ὁ ἄλληξ ἰχθὺς ταριχευόμενος*); Gr. L. I 548, 12 *callum τύλωμα* deest in glossario; — C. Gl. L. II 258, 45 *βόρβορος hoc cenum, cylleus, plurale non habet cenum* (Gr. L. I 32, 9); — II 323, 2 *ζωμός hoc ius pluraliter non declinabitur* (Gr. L. I 32, 10 *hoc ius ὁ ζωμός, τὸ δίκαιον*; I 548, 14 *hoc ius ὁ ζωμός*); — II 263, 17 *γῆς σωρός hoc rudus sing. t. decl.* (Gr. L. I 32, 12 *rudus, ruderis*; 548, 16); — II 332, 41 *ἰὸς ἐχίδνης hoc virus sing. t. decl.* (Gr. L. I 548, 18); — Gr. L. I 32, 14 *hoc siler κύπειρον, siser ἄγριον σέλινον* et 548, 17 *hoc siler λύγος* in glossario non legimus; — II 433, 35 *σκινδάλαμος hoc scrupulum, scrupulus, sing. t. decl.* (Gr. L. I 548, 17); — II 332, 32 *ἰξός hoc viscum sing. t. decl.* (Gr. L. I 548, 19). — Item masculina semper pluralia: C. Gl. L. II 387, 36 *ὄρχατοι οἱ στίχοι τῶν ἀμπέλων antes singulare non habet* (Gr. L. I 548, 21 *hi antes ὄρχατοι οἱ στοῖχοι τῶν ἀμπέλων, λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ ἱππικῶν τάξεων*); — II 252, 51 *ἀφετηρίαι hi carceres pluraliter t. decl.* (Gr. L. I 548, 21 *hi carceres αἱ ἀφετηρίαι ἀπὸ τοῦ συνέχειν*, Gr. L. I 32, 16); — Gr. L. I 32, 17 *hi caelites οὐρανίωνες* auctor glossarii neglegit, item *hi cani πολιαί*; — II 469, 5 *ὑφάσματα ἀραχνῶν casses, hi iates, iates plur. t. decl.* (Gr. L. I 548, 23). Pro *iates* Georgius Goetz *antes* legendum esse suspicatur; haud scio an vinearum et arvorum ordines Pseudocyrillus ad tela aranearum transtulerit; — II 277, 46 *δίκτυα casses, plur. t. decl. casses* (Gr. L. I 548, 23); — II 408, 24 *πίτυρα hi furfures singulare non habet* (Gr. L. I 548, 25); — Gr. L. I 548, 26 *hi freni χαλινοί, sed et frena et frenum invenimus, λέγεται δὲ καὶ σειρὰ φύσεως freni*, C. Gl. L. II 474, 49 *χαλινός hoc frenum, haec frena*, 474, 50 *χαλινοί hi freni*; — II 387, 46 *ὅρων λίθοι grumi singularia non habet* (Gr. L. I 32, 21 *hi grumi οἱ τῶν ὅρων λίθοι*); in glossario non invenimus Gr. L. I 548, 27 *hi grumi οἱ διορίζοντες τοὺς ὅρους λίθοι*, item *hi in-*

ferni ὑπόγειοι; glossae Gr. L. I 32, 21 + 548, 28 *lendes* κόνιδες respondet C. Gl. L. II 353, 10 κόνιδες *hi lendes;* — 452, 41 τέκνα *liberi plur. t. decl.* (Gr. L. I 548, 28); — 265, 62 δαίμονες ἤτοι θεοὶ κατοικίδιοι *lares dicitur et lar;* II 325, 48 ἥρωες *lares plur. t. decl.; dicitur et hic lar;* II 327, 32 θεοὶ κατοικίδιοι *hi lares et hic lar* (Gr. L. I 548, 29 *hi lares* θεοὶ κατοικίδιοι *et larem legimus et las et lar;* — Gr. L. I 548, 29 *hi loci* τῆς μήτρας οἱ τόποι deest apud Pseudocyrillum, item Gr. L. I 32, 23, 548, 30 *hi lemores* νυκτερινοὶ δαίμονες; Gr. L. I 548, 31 *nostrates* οἱ ἡμέτεροι; — II 416, 50 πρόγονοι *maiores singulare n. h.* (Gr. L. I 548, 30); — II 368, 47 μεταγενέστεροι *minores singulare n. h.* (Gr. L. I 548, 31); — II 265, 61 δαίμονες καταχθόνιοι *manes singulare n. h.* (Gr. L. I 32, 24 *manes* δαίμονες); — II 407, 60 πινακίδες *pugillares, singulare n. h.* (Gr. L. I 33, 1; 548, 34); — Gr. L. I 33, 2 *proceres* ἔξαρχοι πρωτάρχοντες inter glossas non invenias; — II 393, 15 Παναθήναια *Quinquatries singulare n. h.* (Gr. L. I 33, 3 *Quinquatres* Παναθήναια; 548, 35 *Quinquatrus* Παναθήναια); — II 224, 48 ἅλες *hi sales singulare n. h.* (I 33, 3); — II 326, 25 θάμνοι *vepres singulare n. h.* (Gr. L. I 548, 36). — Item feminina semper pluralia: C. Gl. L. II 472, 28 φλυαρίαι *argutiae singulare n. h.* (Gr. L. I 548, 37); — 386, 31 ὄρη Γαλλιῶν *Alpes singulare n. h.* (Gr. L. I 33, 6 *Alpes* τὰ ὄρη Γαλλίας); — 352, 42 κόμαι τῶν κροτάφων *antiae singulare n. h.* (Gr. L. I 549, 1 *hae antiae* κόμαι αἱ διὰ τῶν κροτάφων κρεμάμεναι); — 364, 45 μάνδραι θρεμμάτων *caulae singulare n. h.* (I 549, 2 *hae caulae* μάνδραι); — II 329, 16 θρησκεῖαι *cerimoniae singulare n. h.* (Gr. L. I 549, 3 *hae cerimoniae* θρησκεῖαι, θυσίαι); — II 255, 10 βαβαλιστήρια *hae cunae singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 3 βαβαλιστήριον); — II 409, 9 πλέγματα ἐκ ῥάβδων *hae crates singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 4 πλέγματα ῥάβδων); — II 311, 54 ἐπιτήδεια *hae copiae singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 4); — II 343, 21 κατάραι *dirae singulare n. h.* (Gr. L. I 549, 4); — II 290, 54 ἐκκομιδή *hae exequiae singularia n. h.* (I 549, 6 ἐκκομιδαί); — Gr. L. I 33, 10 *Esquiliae* τόπος ἐν Ῥώμῃ in glossario non invenimus; — C. Gl. L. II 339, 12 καρποὶ οἱ χαμαδόν *fruges et ab hac fruge et hanc frugem dicimus* (Gr. L. I 549, 7 *hae fruges* καρποὶ οἱ χαμαδόν, οὐχ οἱ κρεμάμενοι et *frugem et fruge dixerunt*); — II 329, 64 θύραι ἱεροῦ *hae fores singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 8; — II 333, 1 ἱπποκόσμια *falerae, singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 10); — II 463, 29 ὑπάρχοντα *bona,*

fortunae, singulare n. h. (Gr. L. I 33, 13 *bona fortunae* ὑπάρχοντα, οὐσία; I 549,9 *hae fortunae* ὑπάρχοντα); — II 397,33 παρειαί *genae singulare n. h.*; 398, 36 παριαί *hae genae singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 11); — II 389, 42 οὖλα τὰ τῶν ὀδόντων *hae gingulae, gingivae, singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 12 *hae gingivae* τὰ οὖλα τῶν ὀδόντων); — II 409, 20 πλεκτὰ τὰ προσφερόμενα μηχανήματα τοῖς τείχεσιν *hae cerrae singularia n. h.* (Gr. L. I 33, 14 *gerrae* πλεκτα' τινα τὰ προσφερόμενα τείχεσιν, I 549, 13 *hae gerrae* πλεκτά τινά ἐστι τοῖς τείχεσιν προσφερόμενα); — II 330, 50 ἰδοί *hae Idus singularia n. h.* (Gr. L. I 33, 15 + 549, 15 εἰδοί); — II 234, 2 ἀπειλαί *hae minae singularia n. h.* (Gr. L. I 33, 16); — II 361, 56 λοβοὶ τῶν σπλάγχνων *hae lactes singularia n. h.*; II 359, 34 λεπτὰ ἔντερα *hae lactes singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 16/17); — II 358, 53 λατομίαι *hae latomiae singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 18 *hae latumiae* λατομία); — Gr. L. I 33, 17 *neniae* ἐπιτάφια et I 549, 19 *hae neniae* ἐπιτάφιοι non respondent glossae II 311, 39 ἐπιτάφιος *epitafium, nenia, laudatio*; — II 473, 30 φρυγάνων χαίτη *hae quisquiliae, singularia n. h.* (Gr. L. I 33, 19; 549, 27); sed σκύβαλα (Gr. L. I 33, 19) scriptor glossarii omittit; — II 233, 32 ἀπαρχαί *hae primitiae singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 27); — II 433, 16 σκευὴ στρατιωτική *sarcinae singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 30); — II 429, 1 ῥύπος *hae sordes s. n. h.* (Gr. L. I 549, 31 *et sordem invenimus*); — II 258, 25 βοήθειαι *suppetiae s. n. h.* (Gr. L. I 33, 22 βοήθεια); — II 429, 62 σάρος *hae scopae s. n. h.* (Gr. L. I 33, 22; 549, 31 *scopae* σάρος *dicimus tamen et scopa*); — II 350, 54 κλῖμαξ *scala* non congruit cum glossa Gr. L. I 33, 23 *scalae* κλ.; — II 434, 5 σκότος *tenebrae s. n. h.* (Gr. L. I 33, 23 *tenebrae* μυχὸς, σκοτία); — II 294, 54 ἐλευθερίας ἐκδικίαι *hae vindiciae s. n. h.*; 339, 8 καρπιστίαι *hae vindiciae s. n. h.* (Gr. L. I 33, 24 + 549, 33 καρπιστεία ἐκδικία ἐλευθερίας *vindiciae*). — Ex exemplorum autem numero P s e u d o c y r i l l u s haec neglegit: Gr. L. I 33, 12 *faceliae* εὐομιλίαι (I 549, 10), εὐστομία; I 549, 11 *hae foveae* βόθυνοι; I 549, 15 *hae indiciae* ἔλεγχοι; I 549, 15 *hae ianitrices* εἰνάτερες; I 33, 16 + 549, 17 *lutinae* πηλώματα; I 549, 20 *hae leriae* φλυαρίαι; I 33, 19 *retes* δίκτυον; I 549, 28 *hae retes* δίκτυα, I 33, 23 *salinae* ἁλικαί; I 549, 31 *salinae* ἁ λ ο θ ή κ ι α; I 549, 32 *hae tendiculae* σαγῆναι. — Item n e u t r a s e m p e r p l u r a l i a: II 265, 33 γυμνασίαι τῶν μονομάχων *haec bactualia singularia n. h.* (Gr. L. I 549, 35 *haec battualia*); — II 463, 29 ὑπάρχοντα *bona, fortunae, singulare n. h.*

(Gr. L. I 33, 26; 549, 35); — II 255, 31 *βάκχια haec bacchanalia singulare n. h.* (Gr. L. I 549, 36); — Gr. L. I 549, 36 *haec brevia βράχη*; 33, 27; 550, 1 *haec cete κήτη*; 550, 1 *haec cibaria σιτομέτρια* non respondent glossis: C. Gl. L. II 349, 24 *κῆτος pistrix, haec belua*; II 432, 15 *σιτόμετρον cibarium, diarium*; Gr. L. I 550, 1 *haec crepundia ἀναγνωρίσματα* et I 550, 2 *haec Compitalia τὰ ἄμφοδα* in lacuna omissa esse verisimile est. Pro vocabulis *Cerealia Δημήτρια* et *Comitia ἀρχαιρέσια* (Gr. L. I 33, 28 s., 550, 3) legimus C. Gl. L. II 269, 30 *Δημήτρια ἡ ἑορτὴ τῆς Δήμητρος Cerealia* et II 246, 35 *ἀρχαρέσια Comitia*; — II 435, 49 *σπλάγχνα haec viscera, exta, singularia n. h.* (Gr. L. I 550, 4 *σπλάγχνα haec exta*); — Gr. L. I 550, 4 *haec Genialia τύχαια* deest in glossario; pro Gr. L. I 33, 29 *gaesa εἶδος ἀκοντίου* et 550, 4 *haec gaesa ἀκόντια* auctor tantum scribit C. Gl. L. II 223, 19 *ἀκοντίου εἶδος gaesa, sparus, sarisa*, pro Gr. L. I 33, 30; 550, 5 *iuga ἀκρώρεια* C. Gl. L. II 224, 12 *ἀκρώρεια ὄρους collis iugum*, pro Gr. L. I 33, 30; 550, 6 *haec iusta ἔθιμα* C. Gl. L. II 284, 55 *ἔθιμα sollemnia, haec sueta singularia n. h.* neque vero scio an Pseudocyrillus *haec iusta* receperit; — C. Gl. L. II 294, 54 *ἐλευθερία ἑορτὴ Διονύσου haec Liberalia singulare n. h.* (Gr. L. I 550, 7 *h. L. ἑορτὴ Διονύσου*); — II 283, 43 *ἔγκατα haec intestina, singularia n. h.* (Gr. L. I 550, 6); — II 337, 52 *καλύβαι Ἄφρων haec magalia singularia n. h.* (Gr. L. I 34, 2 *h. m. καλύβαι Ἄφρων*); — II 414, 18 *Ποσειδώνια haec Neptunalia s. n. h.* (Gr. L. I 34, 3); — II 278, 22 *Διονύσου μυστήρια haec orgia s. n. h.* (Gr. L. I 34, 3); — II 298, 12 *ἐνδομενίαι haec lautia s. n. h.* (Gr. L. I 550, 8 *h. l. ἐνδομενία*); — II 468, 36 *ὑποχόνδρια haec praecordia s. n. h.* (Gr. L. I 34, 5; I 550, 13 additur *σπλάγχνα*); — II 328, 13 *θεωρίαι spectacula, ludi plur. t. decl.* (Gr. L. I 34, 6); — II 372, 32 *μνῆστρα sponsalia sing. n. h.* (Gr. L. I 34, 7); — II 355, 38 *Κρόνια Saturnalia, singularia n. h.* (Gr. L. I 34, 7); — II 355, 43 *κρόταφοι haec tempora s. n. h.; Vergilius singulare tempus dixit* (Gr. L. I 34, 8 *κρόταφοι tempora, sed Vergilius tempus dixit*; 550, 16 *κρόταφοι tempora*); — II 365, 9 *μάστιγες flagra, haec verbera s. n. h. et verbere ablativum invenimus et genitivum verberis* (Gr. L. I 34, 9 *haec verbera μάστιγες*, I 550, 16 *verbera μάστιγες, sed Vergilius et 'torto volitans sub verbere turbo' singulariter*); — II 326, 3 *'Ηφαίστια Vulcania s. n. h.* (Gr. L. I 34, 10 *Vulcanalia 'Ηφαίστια*). — In glossario desunt praeterea

hae glossae: Gr. L. I 34, 2 *mapalia* καλύβαι ἀγρῶν; I 550, 7 *haec iugera* πλέθρα (C. Gl. L. II 409, 10 πλέθρα *iugera*); I 550, 7 *haec incunabula* βαβάλια (C. Gl. L. II 255, 9 βαβάλιον *cunabulum*); I 550, 9 *haec praestigia* ἀ μ α ύ ρ ω σ ι ς (haud scio an in lacuna exstiterit); I 550, 12; 34, 4 *haec Parentalia* νεκύσια; 550, 10 *haec Lupercalia* Πάνια; 550, 13 *repotia* λυσιπόδια; I 34, 7 *haec serta* στέφανοι, στεφανώματα (C. Gl. L. II 437, 38 στέφανος *haec corona, sertum, serta*); 550, 15 *Terminalia* ὁροθέσια, οἷς ἑορτάζοντες Ῥωμαῖοι θύουσιν. — Elementa semper singularia velut: C. Gl. L. II 219, 30 ἀήρ *hic aer pluralia non habet* (Gr. L. I 34, 16); — II 324, 8 ἥλιος *sol non declinabitur pluraliter* (Gr. L. I 34, 16); — II 326, 13 θάλασσα *hoc mare plur. non decl.; sed Vergilius maria dixit* (Gr. L. I 34, 17 *maria quamvis dicantur pluraliter, attamen nec marium nec maribus dicemus*). Annotatio grammatica deest his glossis: οὐρανός *hoc caelum* (II 390, 7; Gr. L. I 34, 15) et *aether* αἰθήρ (II 220, 23; Gr. L. I 34, 15) et *terra* γῆ (II 263, 6 γῆ *terra humus arva*, Gr. L. I 34, 16) et *milium* κέγχρος (II 347, 11; Gr. L. I 550, 29). — Item quae mensura constant arida dumtaxat, quae numerari non possunt, semper singularia sunt velut: C. Gl. L. II 322, 29 ζεά *mola hoc far ador, pluralia n. h.* (Gr. L. I 550, 28 *far* ζεά, *ador* ζειά); — II 387, 28 ὄρυζα *oryza pl. n. h.* (Gr. L. I 34, 24); — II 295, 42 ἔλυμος *hoc panic[e]um pl. n. h.* (non respondet verbis grammatici *paniceum* μελίνεως κέγχρος Gr. L. I 550, 29); — II 349, 41 κιννάβαρις *hoc minium pl. n. h.* (Gr. L. I 34, 26). — Item haec semper singularia sunt: C. Gl. L. II 367, 1 μέλι *mel plur. non decl.; sed Vergilius mella dixit* (Gr. L. I 34, 28 *m.* μ. *quamvis Vergilius mella dixerit*); — II 294, 3 ἔλαιον *oleum pluralia n. h.* (Gr. L. I 34, 29); — II 380, 56 οἶνος *hoc vinum plur. n. decl., sed Vergilius vina dixit* (Gr. L. I 34, 29 *quamvis Vergilius vina dixerit*); — II 380, 53 οἰνόμελι *mulsum* (non praebet annotationem Charisii: cf. Gr. L. I 34, 29); — II 321, 39 ἕψημα *defrutum sapa passum pluralia n. h.* (Gr. L. I 34, 30 ἕψημα *defrutum*, I 550, 31); — II 384, 44 ὄξος *acetum* (Gr. L. I 34, 30) et II 261, 9 γάλα *lac* (Gr. L. I 34, 30 *lac* γάλα *lactis*) et II 261, 43 γάρον *liquamen* (Gr. L. I 550, 31 *muria* γάρον *liquamen*) ex arte grammatica non fluxisse videntur, praesertim cum desit annotatio grammatica.

Iam ex eis glossis quas modo enumeravi non solum cognosci potest Charisii vel similis grammatici copias coniunctas esse cum

glossis Graeco-Latinis (nam quis putabit hunc consensum fortuitum esse?), sed etiam anonymum Bobiensem et Charisium perinde atque exemplis Latinis inter se differre Graecis interpretamentis, ut modo ille modo hic plura vocabula Graeca proferat. Neque vero dubie illa tria scripta ad eundem auctorem pertinere inde primum intellegi potest, quod Pseudocyrillus complures annotationes illorum hominum doctorum ad verbum exprimit; quas nunc tractabo. Legimus Gr. L. I 31, 30 *hic clavus, id est impurpurata vestis* ἐνπόρφυρος ἐσθὴς καὶ ὁ ἧλος et Gr. L. I 548, 7 *haec clavus, purpura vestis;* nonne videntur pro his lectionibus, quarum secunda errorem praebet, in fonte communi exstitisse talia: *hic clavus purpurata vestis* πορφύρα ὑφασμένη ὁ ἧλος; id quod tradunt glossae C. Gl. L. II 324, 13 ἧλος *clavus singulariter tantum declinabitur* et II 414, 9 πορφύρα ὑφασμένη *clavus sing. t. decl.?* — Gr. L. I 32, 2 *hic muscus herba, quae in parietibus vel corticibus arborum nascitur vel haeret,* id quod respondet C. Gl. L. II 258, 56 βοτάνη, ἡ τοῖς τοίχοις καὶ τοῖς φλοιοῖς συνημμένη *muscus sing. t. decl. et est masculinum;* — Gr. L. I 32, 20 *fori loca spectaculorum, item fori sunt in navibus, quo nautae sedentes remigant* et II 430, 49 σηκοὶ πλοίων *fori singulare n. h.;* — Gr. L. I 549, 13 *gerrae* πλεκτά τινά ἐστιν τοῖς τείχεσιν προσφερόμενα, I 33, 14 *gerrae* πλεκτά τινα, τὰ προσφερόμενα τοῖς τείχεσιν; C. Gl. L. II 409, 20 πλεκτὰ τὰ προσφερόμενα μηχανήματα τοῖς τείχεσιν *hae cerrae singularia n. h.;* — Gr. L. I 34, 4 *palaria, cum milites ad palos exercentur,* C. Gl. L. II 388, 38 ὅταν οἱ στρατιῶται μεθ' ὅπλων γυμνάζωνται *haec palaria, singularia n. h.;* — Gr. L. I 548, 20 *hi antes* ὄρχατοι οἱ στοῖχοι τῶν ἀμπέλων; C. Gl. L. II 387, 36 ὄρχατοι οἱ στίχοι τῶν ἀμπέλων *antes singulare n. h.;* II 387, 42 ὄρχοι οἱ στίχοι τῆς ἀμπέλου *antes singulare n. h.;* — Gr. L. I 33, 6 *aedes, domus, nam si aedis dixeris, templum significas:* C. Gl. L. II 380, 17 οἰκίαι *lares, aedes singularia n. h.;* εἰ γὰρ *aedem* εἴπῃς, ναὸν σημαίνει; — Gr. L. I 550, 12 *procastria, quae ante castra sunt:* C. Gl. L. II 381, 13 οἱ πρὸ τῶν παρεμβολῶν τόποι *haec procastria singularia n. h.;* — Gr. L. I 34, 6 *haec rostra, locus in urbe ubi contionatur:* C. Gl. L. II 457, 26 τόπος ταῖς ἐκκλησίαις ἀφωρισμένος *rostra.*

Etsi numerus horum interpretamentorum haud magnus est et multa desunt, quae apud Charisium et anonymum invenimus, ut *iustitium, quando ius stat, Esquiliae,* τόπος ἐν Ῥώμῃ,

hae grates, quas agimus ob merita e. q. s., tamen haec tam mira convenientia grammaticorum et Pseudocyrilli ad glossarii fontem exquirendum pertinent.

Eodem spectant testimonia scriptorum, quae diversum usum singularis vel pluralis vel generis alicuius nominis respiciunt. Consentaneum est hic tantum annotationes breves, quales in capite undecimo Charisii aut apud anonymum invenimus, tractandas esse; nam illae, quae totos locos scriptorum continent, postea examinandae erunt. Inter has annotationes, quae praecipue a Vergilio et Plauto sunt petitae, paucae sunt, quae apud Charisium, anonymum, Pseudocyrillum simul traditae sunt; utrum ad verbum congruant necne nihil refert. Nonnulla exempla commemorabo: Gr. L. I 32, 12 *rus, sed Vergilius et pluraliter dixit: per florea rura* et C. Gl. L. II 217, 25 ἀγρός *ager, haec villa, hoc rus sing. t. decl. rus et est neutrum et haec rura pluraliter;* — Gr. L. I 32, 14 *viscum, sed Plautus viscus dixit;* II 332, 32 ἰξός *hoc viscum singulariter declinatur et dicitur hic viscus;* — Gr. L. I 32, 21 *lares, sed legimus et lar, laris;* I 548, 29 *hi lares* θεοὶ κατοικίδιοι, *et larem legimus et las et lar;* C. Gl. L. II 325, 48 ἥρωες *lares pluraliter tantum declinabitur, dicitur et hic lar;* — Gr. L. I 33, 9 *dapes et haec daps dixerunt,* I 549, 5 *hae dapes, et dapis dixerunt:* C. Gl. L. II 328, 53 θοῖναι *dapes singulare non habet nisi haec daps, o daps;* II 320, 54 εὐωχίαι *hae dapes singularia non habet nisi haec daps, o daps;* — Gr. L. I 33, 10 *fasces, sed Cicero dixit 'fascem unum si nanctus esses', per quod intellegimus masculino genere dici et non esse tantum plurale;* I 549, 9 *hae fasces, et fascem invenimus masculino genere,* C. Gl. L. II 427, 7 ῥάβδοι στρατιωτικαὶ ἤτοι ἀρχοντικαί *hae fasces singularia non habet, sed Cicero hunc fascem singulariter dixit masculini generis;* — Gr. L. I 34, 1 *lumina; Vergilius 'cui lumen ademptum' singulariter;* Diomedes grammaticus Gr. L. I 328, 10 *lumina; apud Vergilium 'luminis effossi';* C. Gl. L. II 390, 50 ὀφθαλμοί *lumina pluraliter declinabitur, sed Vergilius* (Aen. III 663) *sing. dixit: 'luminis effossi fluvidum lavit inde cruorem'.* — Gr. L. I 34, 8 *tempora* κρόταφοι; *sed Vergilius tempus dixit;* C. Gl. L. II 355, 43 κρόταφοι *haec tempora singularia non habet Vergilius singulare tempus dixit;* — Gr. L. I 34, 16 *verbera* μάστιγες; *sed Vergilius: 'sed torto volitans sub verbere turbo' singulariter;* C. Gl. L. II 365, 9 μάστιγες *flagra, haec verbera singularia non habet et verbere ablativum et*

genetivum verberis; — Gr. L. I 34, 16 *mare θάλασσα; maria tamen quamvis dicantur pluraliter, attamen nec marium nec maribus dicemus;* C. Gl. L. II 326, 13 *θάλασσα mare pluraliter non declinabitur, sed Vergilius maria dixit;* Gr. L. I 550, 22 *maria, quamvis maria dicitur, nec marium nec maribus accipimus.*

Tot exempla attuli, ut glossarii et grammaticorum consensum negari non posse demonstrarem; sed Pseudocyrillus modo Charisii modo anonymi lectione magis uti videtur. Multae annotationes etiam hic omnino neglectae sunt, ut Gr. L. I 32, 11 *hoc ius ζωμός et iura et iuribus legimus;* — Gr. L. I 32, 17 *hi carceres a coercendo; et carcere 'pronique in carcere pendent' Vergilius;* — I 32, 20; 548, 26 *freni, sed et frena et frenum invenimus;* — I 32, 26; 548, 33 *optimates, sed invenimus optimas;* — I 33, 8; 549, 4 *crates, et cratem dixerunt;* et I 33, 17 *opes; sed Vergilius libro primo 'non opis est nostrae Dido';* I 549, 20 *hae opes, accusativum et genitivum et ablativum huius nominis invenimus; hanc opem, opem ferre, huius operis* e. q. s.

Illa autem glossa (C. Gl. L. II 390, 50), quae cum Diomedis verbis convenit et certe ad artem grammaticam quandam spectat, nobis persuadere potest Pseudocyrillum non tam ex Charisii aut anonymi Bobiensis scriptis quam ex communi fonte hausisse, ad quem etiam Diomedes et alii referendi sunt. Quam artem aut a Palaemone ipso compositam aut saltem cum Palaemonis scriptis artius coniunctam esse iam supra exposui. Itaque nihil interest utrum auctor hic nonnullas harum annotationum omiserit alios fontes secutus, in quibus contraria eorum, quae hic exstant, legit, an annotationem non attulerit, quia varium usum vocabulorum variis glossis significabat: sic exstat ut exemplo utar Gl. L. II 474, 49 *χαλινός hoc frenum, haec frena;* II 474, 50 *χαλινοί hi freni;* Gr. L. I 32, 20 *freni, sed et frena et frenum invenimus.* Etiam differentiis, quas grammaticorum scriptis non deesse constat, adduci possumus, ut arbitremur omnes hos scriptores, sive Charisius sive anonymus sive Diomedes arte Palaemonis vel similis grammatici usus est, ipsos quoque studuisse aliquid novi proferre, ut meram lectionem communis fontis enucleare difficile sit.

Quoniam vero omnes hae annotationes ad interpretamentum Latinum pertinent, nunc mihi esse quaerendum puto, quomodo singularia nomina quibus illae in glossario additae sunt vocabulis

a grammaticis enumeratis respondeant. Pauca, quorum apud anonymum et Charisium mentio non fit, haec fere sunt: C. Gl. L. II 234, 3 ἀπειλαὶ θηρῶν *hae presuae singularia n. h.*; — II 263, 26 γλεῦκος *mustum, mustus pluralia n. h.* (sed cum Diomedes Gr. L. I 328, 21 hoc nomen praebeat, etiam in fonte *mustum* exstitisse verisimile est); — II 266, 3 δάκρυα *hae lacrimae singularia n. h.*; — 279, 24 διχόνοια *discordia, discessio, discensio; discordia singulariter tantum declinabitur* (cf. Gr. L. I 35, 9 *item singularia semper sunt quae nec videri nec tangi possunt, verum ab his in alterutram partem doloris aut gaudii adficimur, ut . . . fides, misericordia . . .*); — II 302, 20 ἔξαρχοι *principes singulare n. h.*; — II 363, 31 λύτρα *redumiae singularia n. h.*; — II 372, 24 μνημοσύνα *haec monumenta singularia n. h.*; — II 333, 35 ἱστορίαι *haec monumenta singularia n. h.*; — II 378, 26 ξυλοκανθήλ[ι]α *hae[c] clitellae singularia n. h.*; — II 448, 27 συντόμια *haec tessera singulariter non dicitur*; — II 452, 37 τεῖχος *hic murus plur. n. decl.*; — II 460, 31 τρύγητος *vindemiae pluraliter*; — II 462, 3 ὕδνα *haec tubera, singularia n. h.*

Quoniam igitur affinitatem glossarum graecolatinarum et artium magnam esse demonstravi, fieri non potest, quin nunc explanem, quomodo auctor annotationes ex arte in glossarium transtulerit. De qua re sententia mea est haec: Pseudocyrillus cum ex variis fontibus glossas composuisset, etiam artem grammaticam pertractavit, ut opus suum annotationibus utilibus ditaret. In numero autem eorum capitum, quibus hac in re tractanda multum videtur tribuisse, habendum est caput undecimum primi libri quod est '*de observationibus nominum, quibus genera et numeri discernuntur*'. Hic quidem talia quoque nomina ei occurrebant, de quibus grammatici dissidebant ab eis, quae auctor antea in fontibus suis invenerat. Quem tamen non statim omnia haec nova recepisse, sed studiose perscrutatum eam lectionem quam probaret elegisse apparet; ita multa ex primo fonte retinebat, ex quibus nonnulla proferam: Gr. L. I 549, 14 *haec indicia[e]* ἔλεγχοι, C. Gl. L. II 294, 41 ἔλεγχος *indicium*; — Gr. L. I 550, 10 *Lupercalia Πάνια*, C. Gl. L. II 393, 24 *Πάνιον Lupercal*; — Gr. L. I 33, 23 *scalae κλῖμαξ*, C. Gl. L. II 350, 54 *κλῖμαξ scala*; — Gr. L. I 32, 23 *mores, sed et mos legimus*, C. Gl. L. II 285, 1 ἔθος *hic mos, consuetudo, hic ritus*; — Gr. L. I 32, 6 *haec lux*: C. Gr. L. II 474, 25 φῶς *lumen, haec lux*; — Gr. L. I

32, 24 *hoc siler* κύπειρον, C. Gl. L. II 357, 5 κύπειρον ἡ βοτάνη *siler.* — Multa autem lemmata iisdem vocabulis interpretatus est, ut C. Gl. L. II 283, 43 ἔγκατα *haec intestina singularia n. h.;* 300, 27 ἔντερα *intestina singularia n. h.;* — II 402, 21 περίβολοι *moenia singulare n. h.;* 452, 35 τείχη *haec moenia singulariter n. decl.;* — II 376, 7 νεῶν ῥάμφη ἤτοι ἔμβολοι *rostra singulare n. h.;* 427, 26 ῥάμφη νεῶν *haec rostra singularia n. h.;* 417, 30 προέμβολοι νεῶν *haec rostra singulare n. h.;* 295, 56 ἔμβολοι ἐπὶ νεῶς *haec rostra singularia n. h.;* — II 284, 40 ἕδνα *sponsalia singularia n. h.;* 372, 32 μνῆστρα *sponsalia singularia n. h.;* 245, 24 ἅρμοστρα *sponsalia singulare n. h.;* — 248, 33 ἀστειότητες *facetiae* ⟨*pluraliter*⟩ *tantum decl.;* 316, 27 ε ὐ γ λ ω τ τ ί α ι *facetiae singulare n. h.,* alia. Inde intellegi potest auctorem, cum singulas glossas annotationibus ornaret, sola ea lemmata aut interpretamenta respexisse, quae grammatici ei praeberent. Neque vero dubium esse censeo, quin Pseudocyrillus saepissime nova quoque verba, quae antea praetermiserit, ex his scriptis receperit. — Facile autem fieri potuit, ut haec et illa glossa, hoc et illud verbum thesauri, quoniam Pseudocyrillum fugiebat, annotatione grammatica careret: sic simul explicare possumus, cur glossemata cum illis grammaticis non congruant. Exempli causa afferam glossam (C. Gl. L. II 457, 26): τόπος ταῖς ἐκκλησίαις ἀφωρισμένος *rostra,* quae verba respondent Charisianis: *locus, ubi contionatur.* Quod eo magis mirum est, quia interpretamentum *rostra,* etsi alium sensum hic praebet, semper annotationem prae se fert. — Deinde apparet auctorem consulto complures glossas, quas glossario utiles esse negaret, neglexisse; itaque *Esquiliae* τόπος ἐν Ῥώμῃ, *Compitalia, Genialia, lemores* νυκτερινοὶ δαίμονες, *Carmentalia matri Evandri sacrificia instituta* non inveniuntur in glossario. Sed cum etiam Charisius et anonymus multum inter se differant, ne habemus quidem, cur dicamus primum fontem i. e. Palaemonem pariter omnia nomina enumerasse, ut haec quoque difficultas tollatur, quae necessitudini artis cuiusdam grammaticae, quae ex Palaemone fluxit, et glossarii obsistat. Haud scio an maxima pars earum glossarum, quae ad verbum ex arte grammatica descriptae esse videntur, antea in glossario non exstiterit et tum demum a Pseudocyrillo translata sit.

Neque vero deerunt, qui ex me quaerant, quo iure dicam Pseudocyrillum, postquam iam glossarium composuisset,

annotationes grammaticas addidisse. Itaque ad confirmandam sententiam meam his glossis utar: C. Gl. L. II 258, 45 βόρβορος *hoc cenum, cylleus; plurale non habet caenum;* — 279, 23 διχόνοια *discordia, discessio, discensio; discordia singulariter tantum declinabitur;* — 328, 13 θεώρια *spectacula, ludi; pluraliter t. decl. hi ludi;* — 449, 4 συφαιός *suile, haec arra; singulariter t. decl. et est femininum haec arra;* — 358, 56 λάφυρα *hae exubiae, spolia, praeda; exubiae pluraliter t. decl.;* — 363, 5 λύθρος *cruor, sanies; cruor singulariter t. decl.;* — 400, 45 πέλαγος *aequor, pelagus; singulariter tantum pelagus declinabitur;* — II 409, 35 πλῆθος *globus, hoc vulgus, multitudo; vulgus singulariter t. decl.* Pauca exempla ad manum sunt, sed plura essent, nisi pleraeque harum glossarum annotatione praeditae unum Latinum interpretamentum praeberent et apud reliquas verba grammatica ad omnia nomina Latina simul pertinerent. Quodsi excerpta non glossario iam confecto addidisset, Pseudocyrillus annotationem post nomen ipsum quo spectat posuisset.

Nunc breviter complectamur, quae de eis annotationibus grammaticis exposuimus, quae ad caput undecimum Charisii attinent. Glossae ad verbum descriptae, testimonia scriptorum, annotationes Latina vel Graeca lingua redditae affinitatem glossarii et Charisii anonymive Bobiensis certissime produnt. Quo tamen magis cognoscamus, qua arte grammatica auctor glossarii usus sit, facere non possumus, quin cetera quoque capita Charisii et anonymi, quae observationes de singulis generibus vocabulorum tractant, inspiciamus et cum glossis graecolatinis comparemus.

§ 4. 'De monoptotis' a Charisio et anonymo Bobiensi inscribitur caput, ad quod pertractatis observationibus, quibus genera et numeri discernuntur, pervenimus. Inveniunturne in glossario grammaticae annotationes, quae ad monoptota pertineant et nos adducant, ut etiam illa nomina tractemus? Profecto annotatio *indeclinabile* eandem vim quam *monoptotum* habet et saepius ab auctore hoc *indeclinabile* interpretamentis Latinis additur. Sed utrum talia exempla, quibus solis affinitas glossarii et artis demonstrari potest, in thesaurum recepta sint necne nunc quaeramus. Qua in re exquirenda Charisii dispositionem sequamur, quoniam nos ita celerrime ad finem perventuros esse spero. Primum in arte grammatica haec verba legimus: *Sunt quaedam nomina*

tota in declinatione et singulari et plurali monoptota, in quibus et communia trium generum sunt velut masculini, feminini, neutri; *nequam* (C. Gl. L. II 254, 33 ἀχρεῖος *nequus, spurus, nugas, nugator, nequam; nugas et nequam indeclinabiles sunt*), *frugi* (II 478, 34 χρήσιμος *utilis, accommoda frugalis, frugi*), *nihili* (II 388, 55 οὐδαμινός *nihilo, nugatorius, gerra; nihilo indeclinabile est,* II 389, 4 οὐδενός *nihilo,* II 335, 39 κατ' οὐδέν *nihilo*), *nugas* (cf. *nequam* et 285, 33 εἰκαῖος *nugas, futtilis, vanus; nugas indeclinabile est*), *pondo m. f. n.* Ex hac collatione, qua exemplis additis indicavi, quae glossae grammaticorum dictis respondeant, apparet Pseudocyrillum, cum *pondo* omnino omiserit, interpretamentum *libra* praetulisse, lemmatis autem χρήσιμος annotationem neglexisse. Quod ad vocabulum *nihili* attinet, *nihilo* ei probabilius fuisse videtur, *indeclinabile* tantum addidit, ubi adiectivi loco ponitur.

Sed transeamus ad secundam partem: *sunt quaedam nomina singulariter tantum monoptota, quae pluralia non habent, et sunt neutra, velut* *fas* (II 327, 27 θεμιτόν *licitum fas fandum;* 327, 25 θέμις *fas;* 277, 22 δίκαιον *ius iustum fas*), *hir* (II 327, 28 θέναρ χειρός *vola, ir indeclinabile est*), *tabo, git* (II 366, 52 μελάνθιον *hoc git, indeclinabile est*), *nefas* (II 219, 36 ἀθέμιτον *inlicitum, infandum, nefas*), *instar* (II 230, 52 ἀντίτυπον, τὸ ἰσότυπον *exemplum, exemplar, instar;* 233, 54 ἀπεικόνισμα *specimen instar effigies* 253, 34; 410, 6; 383, 21), *pus* (II 296, 53 ἔμπυον *hoc pus indeclinabile,* II 426, 17 πῦον *pus*), *sinape* (II 431, 43 σίνηπι *pluraliter non declinabitur*), *virus* (II 264, 35 γονὴ ἀνθρώπου ὅ ἐστι σπέρμα *virus singulariter tantum declinabitur;* 332, 41 ἰὸς ἐχίδνης *hoc virus sing. t. decl.*). Nec *fas* nec *nefas* neque *instar* tali annotatione ornata esse videntur, quia ex quodam synonymorum thesauro recepta sunt; *sinapi* vero et *virus,* quibus sunt verba '*singulariter tantum declinabitur*' addita, ex capite undecimo hausta secundam annotationem *indeclinabile est* omittunt. Quoniam denique Pseudocyrillus lectionem *cepa* in glossarium receperat, consentaneum est una cum *caepe* etiam annotationem praetermissam esse. Restat nunc, ut pauca de vocabulo *tabo* dicam. Nescio cur vox *tabo* neglecta sit; neque vero dubium est, quin inde cognoscamus, quomodo Pseudocyrillus et Pseudophiloxenus dissentiant; nam si auctor noster glossis latinograecis usus esset,

certe Pseudophiloxeni verba (*tabo αἵματι νεκροῦ, λύθρῳ* [οὐ], *ἔστιν δὲ μονόπτωτον* II 194, 35) respexisset.

Sequuntur nunc heteroclita, quae *neutralia singulariter tantum monoptota pluralibus casibus naturalem declinationem admittunt velut* *genu* (II 264 41 *γόνυ* genu), *gelu* (II 391, 41 *παγετός gelu;* 400, 4 *πάχνη gelu*), *testu; sed Vergilius haec testa in Georgicis* (II 388, 29 *ὄστρακον testu dicitur et hoc* [vitium librarii] *testa*), *veru* *ὀβελίσκος* (378, 48 *ὀβελίσκος veru singulariter non declinabitur, pluraliter declinabitur*), *seru* *ὀρός* (II 387, 22 *ὀρὸς γάλακτος seru, indeclinabile est*), *tonitru* (II 260, 22 *βροντή hoc tonitru pluraliter t. decl.*), *cornu* (II 347, 63 *κέρας ζώου cornu plur. t. decl.*); *ossu* et *os ossis; pecu* et *pecus, pecoris* omitto, quia grammaticus ipse utrumque nomen diserte anceps significat. Qua ex parte maximus consensus Charisii et Pseudocyrilli apparet, qui etiam ea re confirmatur, quod *gelu* et *genu* omittitur et *seru* indeclinabile nomen, nòn heteroclitum dicitur. Ex eis autem nominibus, quibus allatis anonymus Bobiensis a Charisio differt, ut *subus, bubus,* nullum in glossario invenimus.

Denique nihil ad dissertationem meam referre videtur, quod una glossa (II 278, 1 *δίμοιρον bes indeclinabile quidem, sed antiqui qui leges conscripserunt et bessis et bessem dixerunt*) in eis recensionibus, quibus nos utimur, non exstat.

Sed ea, quae hoc capite cum glossario comparato animadvertimus, breviter animo perlustremus. Auctori saltem simile caput cuiusdam artis grammaticae ad manum erat, id quod et Charisii verbis *monoptota* et *heteroclita* optime expressis et perspicua convenientia exemplorum effici potest. Differentiae autem grammaticorum, quas iam initio paragraphi commemoravi, quamvis exiguae sint, tamen nobis ostendunt a grammaticis merum fontem nobis non tradi, unde simul nonnullae discrepantiae Pseudocyrilli et Charisii repetendae sint. Caput vero duodecimum ex Remmii Palaemonis arte petitum esse Charisius ipse verbis his indicat (Gr. L. I p. 189): *certe inter aptota nomina pluralia posuimus secuti praecepta magistri nostri.* Verisimillimum igitur mihi videtur esse Palaemonis ex arte ultimam originem harum glossarum quaerendam esse (cf. C. Marschall p. 37). — Liceat mihi etiam ex hoc capite pauca exempla nunc afferre, quibus nobis persuadeatur annotationes grammaticas glossis iam compositis adscriptas esse: C. Gl. L. II 254, 33 *ἀχρεῖος nequus,*

spurus, nugas, nugator, nequam; nugas et nequam indeclinabiles sunt; — II 388, 55 οὐδαμηνός *nihilo, nugatorius, gerra; nihilo indeclinabile est;* — II 205, 33 εἰκαῖος *nugas, futtilis, vanus; nugas indeclinabile est.*

§ 5. Duobus quae praecedunt capitibus glossas perscrutati sumus, quarum annotationes ad singularem vel pluralem declinationem nominum pertinent. Etsi enim grammaticus in exemplis afferendis diligenter genera observaverat, plerumque tales annotationes ab auctore omittebantur. Sed cum permagnus numerus nominum, quae in glossario inveniuntur, tantum ibi articulo praeditus sit, ubi nomina varie apud Graecos et Latinos usurpata denotentur, nunc genera nominum inspiciamus. Atque hanc paragraphum 'de hypocorismatibus' inscribo secutus Charisii artem grammaticam, cuius dispositionem, ubi potui, in rebus grammaticis inquirendis servare studui. De deminutivis ergo agamus; me iure dicere nos ita ad genera tractanda transire, quis erit, qui neget, si Charisii verba haec legerit (Gr. L. I 37, 13): *hypocorismata semper generibus suis unde oriuntur consonant?* Quae verba ipsa nos docent, cur perpauca deminutiva inter idiomata a grammaticis composita recepta sint; nam cum vocabula principalia proferantur, deminutiva neglegi possunt. Quod iam annotationes ὑποκοριστικῶς (C. Gl. L. II 380, 22; 414, 3; 392, 33) et *deminutive* (C. Gl. L. II 348, 18 κερδύφιον *lucillium, deminutive*) ad grammaticorum scripta spectant, ego quidem censeo etiam illa verba Charisii auctorem nostrum induxisse, ut ea interpretamenta quae deminutiva sunt articulo afficeret. Neque vero causae desunt, cur articulus etiam praetermitti possit. Primum interpretamentum articulo caret, cum Latinum quoque hypocorisma neutrius generis est, quoniam Pseudocyrillus vocabulis, *hic, haec, hoc* nihil nisi generis discrepantiam Graecorum et Latinorum nominum ostendere vult, ut exemplis utar: C. Gl. L. 247, 53 ἀσκίδιον *vitriciscum*; 248, 19 ἀσπιδίσκιον *clipeolum*; 255, 29 βακτηρίδιον *bacillum*; 255, 27 βάκλιον *bacillum*; 255, 39 βαλλακίδιον *saccellum*; 266, 8 δακτυλίδιον *anellum.* Deinde articulus deest, cum interpretamentum nomen est, cuius de genere dubitari non potest, ut II 265, 7 γραῦς *anula, anus;* II 264, 46 γραίδιον *anicula;* — 265, 47 γυνή *mulier;* 264, 41 γυναικάριον *muliercula.* Hic sunt enumeranda ea quoque deminutiva, quorum vocabulum principale eiusdem generis ac lemma Graecum est, ut II 351, 16 κλῶνος

ramus; II 351, 15 κλωνίον *ramulus*; — II 357, 36 κώμη *villa, castellum, hic vicus*; 357, 42 κωμύδριον *villula*; — 357, 47 κώνωψ *culex*; 357, 48 κωνώπιον *culiculus*. Tum auctor saepe articulum neglegit, ubi ne principale quidem vocabulum differentiam significat. Exempla proferam: C. Gl. L. II 260, 52 βῶλος γῆς *gleba*, 260, 49 βωλάριον *glebula*; — II 267, 29 δεῖπνον *cena*; 267, 25 δειπνάριον *cenula*; — II 349, 26 κιβωτός *riscus, arca*; 349, 27 κιβώτιον *arcula*; — II 361, 3 λίκνον *vannus*; 361, 1 λικνάριον *vannulus*. Consentaneum autem est non omnia deminutiva his regulis aptata esse, praesertim cum nonnulla horum hypocorismatum a grammaticis inter idiomata enumerentur.

Sed nunc ea deminutiva perscrutemur, quibus articulus additus est. Sunt autem haec: C. Gl. L. II 220, 2 αἰγάριον *haec capriola* (II 220, 44 αἴξ *capra capella*); — 328, 29 θηράφιον *haec fericula*; 328, 28 θηρίον *haec bestia, haec fera*; — II 329, 49 θυμάτιον *haec hostiola* (329, 48 θῦμα *hostia, haec victima*); — II 348, 22 κερκίδιον *hic radiolus* (II 348, 20 κερκὶς ποδός *hic radius*); — II 367, 50 μερίδιον *haec porticula* (II 367, 58 μερίς *portio*); — II 409, 47 πλήμνη *hic modiolus*; — II 414, 24 ποστημόριον *haec portiuncula* (portio!); — 426, 31 πυρέτιον *haec febricula* (426, 30 πυρετός *haec febris*); — II 436, 17 σπυρίδιον *haec sportella* (II 436, 16 σπυρίς *sporta, fiscella, fiscina*); — II 458, 13 τραπέζιον *haec mensula* (II 458, 12 τράπεζα *mensa*). Haec hypocorismata et omnino ad arbitrium tractata et ea, quae articulo affecta sunt, tam pauca sunt, ut in glossarii fonte exquirendo vix momenti esse possint; inprimis mirum est, quod ne unum quidem ex eis deminutivis, quae dissonare Charisius scripsit, ab auctore profertur, unde iterum mihi videtur cognosci posse glossas ipsas et annotationes grammaticas in inquirendis fontibus diligenter discernendas esse; has autem ad glossas iam compositas postea additas esse; exempla denique grammatica, quae nondum in glossario inventa sint, modo in glossarium recepta modo ab auctore praetermissa esse. Plura de hypocorismatibus dicenda non esse arbitror, ut iam ad finem huius paragraphi pervenerimus.

§ 6. De idiomatibus nominativis, quae per genera efferuntur. Deminutivis illustratis transeamus ad interpretamenta nominativa ipsa, quorum genus pronomine *hic, haec, hoc* a genere lemmatum Graecorum distinguitur. Qua in quaestione pertractanda quattuor grammaticorum opera respicienda

sunt, scilicet haec: caput quartum decimum primi libri Charisii artis grammaticae: de nominativis ad regulam redactis (Gr. L. I 38); idiomata nominum ab anonymo Bobiensi composita (Gr. L. I p. 551, 39 ss.); glossae Servii grammatici (C. Gl. L. II 507 ss.); idiomata nominativa, quae per genera efferuntur (C. Gl. L. II 557 ss.).

Nunc primum Charisii caput examinemus. Apparet in capitibus sequentibus ut de pronominibus, interiectione, praepositionibus multo facilius singulos grammaticos a nobis discerni posse, quos auctor secutus sit; nam ibi Cominiani, Romani, Palaemonis sententias Charisius ordine exponit; sed primus liber diligentius elaboratus est. Etsi hic Charisius certe ex eisdem fontibus hausit, tamen ut singulos grammaticos dinoscas, fieri non potest, quin proprietates unius cuiusque horum virorum doctorum perspexeris. Atque mihi Marschall in dissertatione sua caput et duodecimum et quartum decimum ex Remmii Palaemonis arte fluxisse ita persuasit, ut ei assentiar; pariter de idiomatibus anonymi disputavit. Qua de causa Charisius haec idiomata omisit, quae apud auctorem suum invenerit? Ille haud scio an comparationem consuetudinis Latini et Graeci sermonis tanti non aestimaverit et cum artem grammaticam Latinam scribere vellet, idiomata praetermiserit; quodsi in capite antecedente Graeca interpretamenta attulit, longe alia erat huius rei ratio, quoniam ibi idiomata non exstant; praeterea grammaticus Remmii Palaemonis artem mutilare noluit. Ceterum in Charisii arte Graeca vocabula comparandi causa adhibita rara sunt.

Sed transeamus nunc ad Servium grammaticum. Cuius glossae cum Charisii arte coniunctas esse praecipue centum septem glossis (cf. C. Gl. L. II 507 s.) efficitur. Cui parti ea verba, quibus Charisius de monosyllabis agit, subesse apparet. Ibi legimus: *monosyllaba quoque per 'is' genitivum habent paene omnia.* Quibus verbis exempla succedunt, quorum plurima pars perpaucis nominibus exceptis Servii glossis respondet, quamquam hic saepius vocabulis falsum genus assignavit. Quod vero ad idiomata pertinet, haud scio an Charisii vel similis grammatici verbis Servius usus sit; etiam Oehler (Mus. Rhen. XVIII [1863]) affinitatem Charisii et Servii agnovit, quos artius quam illum et anonymum Bobiensem cohaerere dixit. Mirum autem est,

quod nomina secundum declinationes disponuntur, qui ordo quidem non semper ab auctore servatus est.

At quomodo anonymi excerpta se habent? Qui summam capitis X et XV in unum caput coegit, praeterea vero observationibus nominum quibus genera et numeri discernuntur collationem idiomatum nominum addidit, quam Remmii Palaemonis esse dicit Carolus Marschall, utpote cum haec ipsa comparatio linguae Latinae et Graecae diligenter ab hoc grammatico tractetur. Sed ne anonymus quidem nobis mera Palaemonis verba tradidisse iam inde cognosci potest, quod plerisque nominibus Latinis Graeca interpretamenta desunt; ego quidem censeo nullo modo fieri potuisse, ut Remmius Palaemon, cum differentiam Graecorum et Latinorum nominum exponere vellet, tantum lemmata Latina proferret, praesertim cum verba (Gr. L. I 292, 16) quae iam supra annotavi ad eum referenda sint, ut Marschall demonstravit. Charisius enim ita disserit: *cum ab omni sermone Graeco Latina lingua pendere videatur, quaedam inveniuntur vel licentia ab antiquis vel proprietate linguae Latinae dicta praeter consuetudinem Graecorum, quae idiomata appellantur.* Denique hac in re exquirenda etiam idiomata nominativa quae per genera efferuntur magni momenti esse arbitror. Quae glossae quin ad verba anonymi proxime accedant, quis est qui dubitet? Non solum ipsae glossae cum eius verbis consentiunt, sed etiam saepissime ordo singulorum nominum optime servatus est, quae convenientia fortuita esse non potest. Sane collatio idiomatum nominativorum longe copiosior est; ego quidem arbitror hoc glossarium ex eodem fonte atque excerpta Bobiensia, ut Keilii appellatione utar, fluxisse; multa autem ab anonymo corrupta neque omnia nomina fontis quem sequeretur ab eo recepta esse; sed ne auctorem quidem idiomatum nominativorum vitiis carere.

Quae ratio inter Servium et hos duos scriptores intercedit? Quoniam Servius miro modo librum suum composuit, dispositione ipsa a reliquis eius modi scriptis differt. Quem autem virum doctum secutus hunc ordinem elegit? Primas centum et septem glossas cum Charisii tractatu qui est de monosyllabis verbis consentire iam supra commemoravi. Magnum quoque numerum eius idiomatum apud anonymum et inter idiomata nominativa glossasque graecolatinas inveniri consentaneum est, sed artiorem

necessitudinem Servii et horum scriptorum exstare nego; nam praeter consensum tot differentiae apparent, ut in fonte glossarum graecolatinarum exquirendo magni momenti non sint. Nec tamen omnino Servius hac in quaestione praetermittendus est, quia eandem sententiam tractat. Inprimis igitur excerpta Bobiensia et idiomata nominativa cum glossis graecolatinis conferenda sunt. Quamquam et permulta ipsa horum nominum omissa sunt vel certe articulo carent, qui nobis ostendat ibi idiomata subesse; id quod eo efficitur, quod et utraque recensio minus diligenter verba eius auctoris tradit, quem scriptor glossarii secutus est, et Pseudocyrillus Latina interpretamenta saepius aliis quoque lemmatibus Graecis coniunxit, qua re proprietas idiomatis periret, vel numerum idiomatum per analogiam valde amplificavit; nec tamen dubie omnia illa idiomata, quae glossarium praebet, ad grammaticorum scripta pertinent. Sin autem exemplis ea, quae exposui, confirmare studerem et singulas glossas compararem, ordo huius dissertationis mihi neglegendus esset, ut putem pauca verba nobis satis esse. Videmus igitur tales glossas, quales sunt C. Gl. L. 216, 32 *ἀγκύλη ποδός hic poples* (Gr. L. I 552, 16; C. Gl. L. II 538, 79); — II 220, 7 *αἰγίλωψ haec habena* (Gr. L. I 553, 3); — II 220, 5 *αἰγιαλός hoc litus* (Gr. L. I 553, 37, C. Gl. L. II 544, 9); — II 247, 38 *ἆσθμα hic anhelitus* (Gr. L. I 552, 24; C. Gl. L. II 542, 13); — II 257, 6 *βέλος haec sagitta* (Gr. L. I 553, 27; C. Gl. L. II 546, 20); — II 231, 8 *ἀντωνυμία hoc pronomen* (Gr. L. I 554, 23; Gr. L. II 548, 16) ad Remmii Palaemonis vel similis grammatici artem referendas esse; multas autem per analogiam compositas esse, id est: aut articulus, quem glossa quaedam ad idiomatum thesaurum revocanda praebebat, saepius etiam alteri glossae additus est, ut C. Gl. L. II 218, 4 *ἀγών hoc certamen* (Gr. L. I 553, 33, C. Gl. L. II 525, 58) et II 314, 30 *ἔρις contentio hoc certamen*, aut Pseudocyrillus collationem idiomatum auxit, quo capite XIV Charisii adductus esse videtur. Exempli causa grammaticus ibi scribit: *omnia nomina, quae per en terminantur, . . . et sunt paene omnia neutralia exceptis his tantum novem, quae masculina videntur* e. q. s. Quae verba secutum nobis auctorem glossarum censeo tradidisse: C. Gl. L. II 270, 19 *διαβολή obtrectatio criminatio* hoc crimen; — 304, 32 *ἐξοχὴ ὄρους* hoc cacumen; — II 379, 50 *φθονή* hoc linteamen; — II 425, 23 *πταρμός hoc sternumentum*, hoc sternumen, *sternotum*; — aeque nomina

quae per *al* vel *ar* terminantur: C. Gl. L. II 216, 36 ἀγκὼν ὁ δεσμός *hoc cubital*; — II 385, 55 ὀπός *hoc lasar, asar*. Hoc modo etiam multae aliae glossae explicari posse videntur. Atqui Pseudocyrillus interdum in illo ipso capite tractando erravit: nam invenimus exempla, ut C. Gl. L. II 429, 43 σαλπιγκτής *tubicinator, hoc tubicen liticen*; quae etsi satis docent quam neglegenter auctor glossarii verba grammaticorum (cf. Gr. L. I 38, 5 ss.) oculis percurrerit, tamen evidenter ad illorum fontem spectare quis est qui neget? — Quodsi iam glossae supra prolatae nobis persuadent Pseudocyrillum non solum collatione idiomatum, sed etiam alio artis cuiusdam capite quo nomen pertractabatur usum esse, spero fore ut pariter exempla, quae sequantur, ad hanc rem confirmandam pertineant, unde etiam cognoscamus nullo modo idiomata ex Servii glossematibus fluxisse. Servium enim secutus una cum idiomatibus monosyllaba illustrabo. Eas centum septem glossas, quas ille vir doctus tradit, cum grammaticorum scriptis affinitate coniunctas esse supra explicavi. Talem autem collationem ipsis in glossis componendis subfuisse, his exemplis demonstratur: C. Gl. L. II 475, 5 *hoc aes, aeris*; — II 247, 15 *hic calx, calce*; — II 470, 16 φάρυγξ [*faux*] *faucis*; — 473, 58 φυλλάς [*frons*] *frondis*; — 227, 30 *flos, floris*; — 374, 4 *glis, gliris*; — 255, 37 *glans, glandis*; — 433, 1 σκέλος *crus, crurum*; — 279, 54 δοκός *tignus hoc tignum*, [*trabs*] *trabis*; — 384, 32 ὄνυξ *unx, unguis*. Sed haec nomina parvam partem eorum monosyllaborum complent, quae nobis Charisius et Servius tradunt. Cur non maior numerus invenitur? Multas glossas Pseudocyrillus iam annotatione affecerat ut *hic as, haec crux, hoc far, hoc fel, hic grex, haec gens* e.q.s. Raro autem his interpretamentis plura addidit. Grammaticum vero eandem lectionem praebuisse quam Servium verisimillimum est, quoniam Charisius nonnulla monosyllaba, quae interpretamento Graeco exornavit, pariter reddit, ut proferam: *glos* ἀνδρὸς ἀδελφή *gloris*; *nar* ῥώθων *naris*; *stips* ἔρανος *stipis*, id quod hac in quaestione maximi momenti est, cum aliter fieri non possit, quin eae glossae graecolatinae, quibus talia interpretamenta qualia *faucis, frondis, trabis* sunt, ad Servii scripta revocentur. Quae si ita essent, nobis statuendum esset Pseudocyrillum cum Servium tum alium grammaticum secutum esse. — Nam etiam alia verba nos docent auctorem glossarii artem

inspexisse, cuius praecepta respondeant eis, quae Charisius primi libri capite XIV (*de nominativis ad regulam redactis*) pertractat. Legimus enim has fere glossas: C. Gl. L. II 247, 55 ἀσκός *uter, utris* (Gr. L. I 540, 13) *uterus, follis*; — C. Gl. L. II 265, 49 γῦρις *pollis, polline* Gr. L. I 42, 2 *pollis* γῦρις *pollinis*); — C. Gl. L. II 282, 2 δύσνους *obtunsus, hebes, hebetus* [*is!*]. (Adductus Charisii verbis [Gr. L. I 132, 1] censeo hic nobis legendum esse *hebes, hebetis,* quia *hebetus* sensu caret); — II 357, 50 κωπηλάτης *remigis, remex* (Gr. L. I 88, 26); — II 376, 2 νεφρός *rien, rienis* (Gr. L. I 38, 7 *rien,* νεφρός *rienis et ren*); — II 376, 25 νῆσσα *anas, anatis*; — II 411, 50 πόκος *vellus, vellera*; — II 409, 40 πλῆκτρον *pecten, pectenis* (Gr. L. I 38, 8 *pecten, pectinis*); — II 474, 39 χάλαζα *grando, grandium* (quoniam interpretamentum *grandium* bonum sensum non praebet, librarii vitio pro *grando, grandinis,* quae nomina Pseudocyrillus ex arte grammatica hausit, *grando, grandium* scriptum esse arbitror). Dubium non est, quin glossae supra commemoratae cum grammaticorum scriptis optime congruant. Neque vero scio an nemo ponat Pseudocyrillum duos fontes grammaticos secutum esse, quorum affinitas negari non potest. Quia autem multa nobis persuadent, illas glossas non ad Servium, sed ad artem grammaticam referendas esse puto, quocum et ille et Charisius aliique similes grammatici coniuncti sint.

Nunc etiam quaeramus utrum ex eis glossis, quas modo perscrutati sumus cognosci possit necne, quomodo ille grammaticus, quem Pseudocyrillus imitatus sit, singula capita composuerit. Iam antea ostendi verisimillimum esse annotationes collectis demum glossis adscriptas esse. Hic exempla afferam, unde intellegamus haec idiomata post caput quod est *de observationibus nominativis quibus genera et numeri discernuntur* in fonte locum habuisse: C. Gl. L. II 258, 56 βοτάνη ἡ τοῖς τοίχοις καὶ φλοιοῖς συνημμένη *muscus singulariter tantum declinabitur et est masculinum*; — II 332, 7 ἰλύς *hic limus sing. t. decl. et est masculinum*; — II 355, 33 κρόκος *hoc crocum pluraliter non decl. et neutrum est*; — II 361, 14 λιμός *fames sing. t. decl. et est femininum*; — II 382, 13 ὄλισθος *lapsus, labes sing. t. decl. et est femininum*; — II 449, 4 συφαιός *suile haec arra sing. t. decl. et est femininum haec arra*; — II 478, 8 χόρτος *hoc fenum sing. t. decl. et neutrum est.* Ut

iam supra exposui, raro glossae pluribus annotationibus ornantur, ut ne possim quidem plura exempla afferre; attamen inde concludi posse censeo Charisium primum ordinem originis servasse praeter idiomata omissa, quae ad artem suum non pertinere putavisse videtur. Inserenda autem sunt idiomata post caput undecimum.

§ 7. Quibus rebus expositis nunc transeamus ad verbum. Non deerunt qui ex me quaerant idque optimo iure quaerere videantur, quam vim illa capita Charisii ad dissertationem meam habeant, cum omnia fere interpretamenta Graeca, quae nobis gravissima argumenta sint, omittantur; id quod aegerrime ferendum esse iam in ea paragrapho dixi, qua de idiomatibus nominum egi. Estne autem nobis statuendum Remmium Palaemonem in his partibus ipsis linguam Latinam cum Graeca non contulisse? Profecto ille grammaticus etiam hic glossas ascivisse mihi videtur; neque enim solum singularia interpretamenta Graeca et a Charisio et ab anonymo Bobiensi tradita, sed etiam Dosithei verba nobis persuadent, etiamsi haec ars nullo modo cum Charisio comparari possit. Anonymum autem tam exiguum numerum praebere eo explicari potest, quod hoc caput breviter tantum ab eo tractatur: at Charisium praecipue Latina verba inspexisse ex libro quinto de idiomatibus ipso cognoscimus.

Si Dosithei opus cum glossis graecolatinis comparabimus, tam exigua momenta inveniemus, quae auctoritatem huius grammatici nobis confirment, ut hanc collationem praetermissurus sim. Quae cum ita sint, consentaneum est me primum Graeca interpretamenta Charisii et anonymi persequi. Inprimis autem verbum *eo* et eius composita respicienda sunt, quae excepto *praetereo* διαβαίνω omnia in glossario inveniuntur (cf. Gr. L. I p. 173, 9—12): C. Gl. L. II 408, 7 πιπράσκομαι *veneo* (*vento*); II 398, 15 παρέρχομαι *praetereo, transeo, transgredior;* II 402, 41 περιέρχομαι *perago, circumeo, circumvenio, ambio, obibo, obambulo, perpetro, obeo;* — II 303, 6 ἐξέρχομαι *exeo, egredior, excedo;* — II 286, 61 εἰσέρχομαι *ineo, introeo, introgredior, ingredior;* — II 417, 35 προσέρχομαι *interpello, adgredior, accedo, adeo;* — II 234, 46 ἀπέρχομαι *abeo, eo;* — II 417, 35 προέρχομαι *procedo, prodeo;* — II 413, 40 πορεύομαι *vado, eo, meo.* Statim etiam reliqua vocabula Graeca sequantur, quae uterque

grammaticus ex fonte recepit: Gr. L. I 243. 8 *frico, fricas, fricui* τρίβω = C. Gl. L. II 458. 56 τρίβω *trito. frico. attero. tero:* — I 243. 20 *palleo, palles, pallui* ὠχριῶ = II 483. 7 ὠχριῶ *palleo:* — I 243. 20 *stupeo, stupes. stupui* θαμβοῦμαι = II 326. 24 θαμβοῦμαι *obstupeo. stupeo. paresco:* — [I 244. 17 *porceo. porces. porxi* βιάζομαι]: — I 244. 18 *pelliceo, pellices. pellexi* δελεάζω = II 267. 51 δελεάζω *inlecebro. pelliceo. alliceo* (I 244. 17) *inliceo. inlicio:* — I 244. 29 *sterto, stertis. stertui* ῥέγχω = II 427. 42 ῥέγχω *sterto:* — I 245. 2 *pendo, pendis. pependi* ἀποτιννύω = II 241, 20 ἀποτιννύω *luo:* — I 245. 3 *tundo, tundis. tutundi* κόπτω = II 353. 33 κόπτω τὸ λειῶ *tundo:* — I 245. 4 *pedo. pedis. pepedi* πέρδομαι = II 402. 3 πέρδομαι *pedo. pepedo*[*i!*]; — [I 245. 5 *caedo. caedis. cecidi* ἀναιρῶ; I 245, 12 *polingo, polingis, polinxi* σοροπλοκῶ]. — I 564, 15 *no, nas. navi* νήχομαι = II 376. 33 νήχομαι *nato. naro. no:* — I 564. 26 ***neo, nevi*** **νήθω = II 376, 15 νήθω, *neo;* — I 564, 41 *sero,*** *serui* σπείρω = II 435. 35 σπείρω *semino, satio, sero;* — I 565, 1 *pario. paris. peperi* ἐγέννησα = II 262. 33 γεννῶ *genero, genito, nasco. pepero*[*i!*]. *creo:* — I 565. 9 *pollingo. pollinxi* ταριχεύω, ἐπιταφεύω = II 451. 52 ταριχεύω νεκρόν *pollingo:* — I 565, 11 *sugo, suxi* μύζω θηλάζω = II 328. 18 θηλάζω *lacto. sugo;* 373. 45 μύζω *sugo;* — I 565. 13 *adlido, adlisi* προσρήσσω = II 422. 57 προσρήσσω *inlido, adplodo, adlido, adfligo:* — I 565. 16 *cudo. cudi* ἐλαύνω σίδηρον = II 294. 27 ἐλαύνω ἐπὶ σιδήρου ἢ ἄλλης ὕλης *extundo, cudo;* — I 565. 17 *iacio, ieci* ῥίπτω = II 428. 22 ῥίπτω ἐπὶ ἀκοντίου *iacio, iaculor;* — I 565. 17 *cerno. creri* ὁρῶ προσέρχομαι κληρονομίᾳ = II 387. 44 **ὁρῶ *aspicio, cerno, viso, aspecto, video;* — I 565, 24 *mando,*** *mandis, mandi* ἐμασησάμην = II 365. 19 μασῶμαι *mando.* Hae sunt glossae. quas in Charisii et anonymi scriptis invenias: quarum nonnullas ut *pedo. pepedo*[*i!*] *et pepero*[*i!*] ad artem pertinere apertum est.

Item vero illi loci. qui verborum collationem ut *volo. vis, volui* proferunt. ad Pseudocyrilli fontem exquirendum aptissimi sunt. unde affinitas huius auctoris et illorum grammaticorum intellegi possit. quoniam is permulta exempla Charisii nobis servavit. Ergo facere non possumus, quin eas glossas graecolatinas inspiciamus. quae haud dubie ad praecepta grammaticorum spectent; exempli causa legimus Gr. L. I 247. 7: *tertia forma est qua*

perfectum cadit in '*si*' *litteras, velut farcio farcis farsi, sarcio sarcis sarsi, fulcio fulcis fulsi, saepio saepis saepsi, cambio cambis cambsi, hoc est muto, sentio sentis sensi, haurio hauris hausi*; quibus verbis optime respondent hae glossae: C. Gl. L. II 432, 5 σιτεύω *farcio sagino farsi*; — II 427, 34 ῥάπτω *sarcino, insuo, obsuo, sutello, sarcio, sarsi*; — II 467, 36 ὑποϱθῶ *erigo, subrigo, fulcio fulsi*; — II 473, 6 φϱάσσω *saepio, obstruo, saepsi*; — II 297, 23 ἐναλλάσσω *immuto, muto, commuto, cambio campsi.* — Haud scio an Pseudocyrillus *sensi* et *hausi* sibi proferenda esse negaverit.

Quod ad verbum *volo* eiusque composita attinet, Charisius pauca refert; commemorat enim nihil nisi *volo, vis, volui, malo, malis, malui,* neque vero verisimillimum est apud Palaemonem vel in fonte glossarii nostri *nolo* neglectum iacuisse. Certe ad talem fontem pertinent hae glossae: C. Gl. L. II 259, 27 βούλομαι *volo, secundam personam vis*; II 259, 28 βούλομαι ἐπιτατικῶς *malo mavis*; II 388, 51 οὐ βούλομαι *nolo nolio*[*is?*]. Quodsi statuimus librarium, qui tantum *mavis* et *non vis* noverit, has glossas emendare studuisse, id quod ei ex parte contigit, cum differentia grammatici et Pseudocyrilli tum interpretamentum corruptum *nolio,* quod ex *nolis* depravatum esse censeo, facile removetur.

Restat nunc ut reliqua vestigia persequar, quae evidenter originem grammaticam significent, scilicet haec: C. Gl. L. II 262, 33 γεννῶ *genero, genito, gigno, nasco, pepero*[*i!*], *creo*; — II 215, 44 ἀγανακτῶ *excandesco, ringor, indignor, rinctus sum*; — II 304, 23 ἐξουδενῶ *sperno, respuo, adnihilo, sprevo*[*i!*] *asperno*; — II 305, 15 ἐπαίϱω *tollo, levo, extollo, sustulo*[*i!*]; — II 293, 55 ἐκχέω *effundo profundo, effuso* (exspectaveris *effudi*), *fundo*; — II 320, 12 ἐπιφημῶ *fabo, faveo* (hic *faveo, favi* legendum esse verisimillimum est); — II 325, 55 ἡσυχάζω *quiesco, quievo*[*i!*]; — II 391, 52 παθῶ *patior, passus sum*: codex nihil nisi *patior, pass* . . . tradit, sed arbitror Charisii ex verbis (Gr. L. I 247, 30 *patior, pateris, passus sum*) hic nobis *passus sum* restituendum esse, ut lectionem *passo* improbem; — II 402, 3 πέϱδομαι *pedo pepedo*[*i!*]; — II 404, 6 πεϱιπείϱω *adfigo adfixo*[*i!*]; — II 420, 21 πϱοσαγοϱεύω *adhibeo, adduco, appello, adtulero, obtulo*[*i!*]; — II 422, 41 πϱοσπελάζω *applico, appello, accedo, adverto, appulo*[*i!*]; — II 432, 25 σιωπῶ *taceo, obticeo, sileo, conticuo*[*i!*]; — II 444, 62 συνεθέμην *pepigi*; — II 466, 34 ὑποκεντῶ *pungo, pupugi*

(*pusingo* enim, quod codex nobis praebet et quod omni sensu caret, vitio librarii ex *pupugi* corruptum esse videtur, ut optimo iure haec glossa ita a me corrigi possit); — II 482, 60 ὠφελεῖ *prodest, profuit, iubat.* Interpretamenta *pepedo, pepero, sprevo, sustulo, effuso, appulo, pusingo* a librario depravata esse apparet, quoniam ille nesciebat, qua re adductus Pseudocyrillus haec perfecta recepisset. Eadem autem exempla sententiam meam confirmare videntur: grammaticas annotationes, quarum in numero haec perfecta nobis habenda sunt, postea ab auctore glossis Graeco-Latinis iam compositis esse additas (cf. C. Gl. L. II 215, 44 *excandesco, ringor, indignor, rinctus sum;* — II 305, 15 ἐπαίρω *tollo, levo, extollo, sustuli;* — II 422, 41 *applico appello, accedo, advento appuli;* — II 432, 5 *farcio, sagino, farsi;* — II 473, 6 *saepio, obstruo saepsi*).

Sed cum fieri non possit, ut omnes verborum species, quae in glossario adhibentur, hac paragrapho explanemus, nunc paucis verbis certas quasdam partes explicabo. Permulti sunt imperativi, quos glossae praebent et quorum numerus Pseudophiloxenum multo superat. Ego quidem censeo fontem, quem Pseudocyrillus secutus sit, cum anonymi Bobiensis verbis hac in quaestione comparari posse, quae quin Remmii Palaemonis sint Marschall rebus pertractatis non dubitat, etsi Charisius et Diomedes similem partem non afferunt. Itaque aegerrime ferendum est quod anonymus tam breviter de hoc capite agit et perpauca exempla tradit. Exhibet autem haec (Gr. L. I 563, 10—25): *omnia verba imperativo modo his litteris terminantur a* (computa, commemora, memora e. q. s.), *e producta* (gaude, doce, provide), *e correpta* (accipe, accede, coge, deme, comprime, consiste, incide, siste), *i* (custodi), *o, c, r, s* et (Gr. L. I 563, 18): *item in o quod solum est et secundae tantum personae ut cedo* (C. Gl. L. II 276, 8 δίδαξον *doce, cedo;* II 280, 23 δός *da, cedo, Terentius Phormione* [935]: *quin tu mihi argentum cedo*), *c haec tria: dic, duc, fac* (*dic:* II 286, 17 εἰπέ; 359, 6 λέγε; — *duc:* 216, 18 ἄγε; — *fac:* 411, 18 ποίησον). Adde Gr. L. I 563, 22: *sed facio, si praepositionem acceperit, redit ad regulam velut . . .* (effice). *r ex corruptis: ex verbo fero fers fer facit, aufer* (*defer* II 345, 33; *adfer* II 470, 33; *profer* II 464, 27; *confer* II 443, 34; *aufer* II 252, 44); *s item corruptis ex verbo adsum ades* (II 398, 17 πάρεσο). Relinquitur, ut etiam haec verba Charisii commemoremus (Gr. L.

I 254, 18): *sunt quaedam verba in quibus tantum imperativo modo declinamus in secunda persona singulariter et pluraliter, item infinitivo modo praesentis tantum temporis. Et sunt haec duo: ave salve* (C. Gl. L. II 474, 34 χαῖρε *a v e s a l v e gaude*). Praeterea conferamus alia quoque Charisii exempla. Ibi legimus (Gr. L. I 251, 3): *et quae ex eo* (sc. fio) *nascuntur eodem modo declinantur; expergefio* (II 304, 39), *expergefacio* (II 279, 13; 304, 38), (*expergefactus* II 304, 40); — *calfio, calfacio* (*calefacio* II 327, 56); — *arefio* (II 378, 8), *arefacio* (II 378, 7); — *adsuefio* (II 284, 51), *adsuefacio* (II 420, 55; 445, 1), (*adsuefactus* II 323, 50); — *mansuefio* (II 324, 32), *mansuefacio* (II 324, 34; 343, 13);. — *liquefio* (II 455, 3), *liquefacio* (II 344, 33; 296, 58; 455, 5; 461, 53), (*liquefactus* II 453, 50); — *tepefio* (II 477, 23), *tepefacio* (II 477, 24); — *patefio* (—), *patefacio* (II 228, 17; 301, 50; 228, 16), (*patefactum* II 226, 47); — *stupefio* (—), *stupefacio* (II 343, 2; 292, 13), (*stupefactus* II 292, 11). — Gr. L. I 261, 11 *similiter quae ab eo* (sc. *eo* II 324, 46; 234, 6; 413, 40; *eamus* II 234, 26, *i* II 234, 29; 413, 41) *composita sunt, velut abeo* (*abeo* II 234, 6; 46; *abit* (*iit?*) II 313, 26; *abiero* II 234, 28); — *ineo* (II 286, 61; 58; 463, 45); — *subeo* (II 463, 45; 466, 12; 226, 10); — *adeo* (II 420, 58; 421, 10); — *prodeo* (II 417, 24; 417, 35; *prodire* 417, 27); — *circumeo* (II 403, 34; 16; 402, 41; 356, 30; 405, 9); — *intereo* (II 463, 45; 238, 38); — *pereo* (II 238, 38); — *praetereo* (II 398, 15; 418, 1; 253, 18; 395, 32); — *exeo* (II 303, 6; 292, 24; *exi* II 302, 53); — *praeeo* (II 417, 11; 49; 420, 7); — *coeo* (II 444, 17; 447, 19; *coire* II 446, 40); — *veneo* (II 426, 58; 408, 7); — *queo* (II 281, 28); — *nequeo* (II 389, 23); — *redeo* (II 468, 2); — *transeo* (II 398, 15; *transit* [*iit?*] II 398, 27); — *anteeo* (II 420, 7). — Gr. L. I 261, 21: *similiter quae ab eo* (sc. *fero* II 470, 37; 467, 3; 381, 20; 242, 25; 352, 50; 359, 7) *composita sunt tam activo quam passivo modo declinantur, velut defero* (II 340, 9; 270, 7; 344, 52; *defer* II 345, 33; *deferor* II 270, 6); — *adfero* (II 423, 25; *adfer* II 470, 33; *adferam* II 422, 27; *attulero* II 420, 21; *allatum fuerit* II 421, 33); — *profero* (II 418, 33; 424, 31; *profer* II 464, 27); — *praefero* (II 418, 39; 38; 424, 10; 11; *praeferri* II 424, 6; *praelati sunt* II 417, 40; 424, 7); — *effero* (II 290, 55; 293, 39); — *differo* (II 275, 31; 298, 9; 464, 51; *differt* II 275, 30; *distulero* II 464, 51); — *confero* (II 228, 59; 230, 11; 440, 41 [*comf.*]; 441, 29; 443, 38; 445, 10 [*comf.*]; 447,

10; *comfer* II 229, 11; *confer* II 443, 34; *contulisse* II 369, 60); — *refero* (II 229, 3; 228, 60; *relata est* II 306, 55; *relata esset* II 306, 42); *antefero* (II 418, 39; 33; 416, 2; *anteferri* II 424, 6); — *aufero* (II 237, 48; 242, 25; 468, 58; *aufer* II 252, 44; *abstulit* II 252, 42); — *suffero* (II 468, 29); — *circumfero* (II 405, 35); — *transfero* (II 369, 49; 368, 39; *transferor* 370, 1; *transtuli* II 370, 9).

Pariter Charisii capita III (de inchoativis), IV (de impersonalibus), V (de frequentativis) ad glossarum originem illustrandam pertinere videntur. Quibus de verborum generibus multa dicenda non sunt; sufficiunt nonnulla exempla. Ex frequentium inchoativorum numero haec proferam: C. Gl. L. II 473, 15 φρίττω *horreo, horresco*; 375, 6 ναρκῶ *torpesco, torpeo;* 295, 14 ἐλεῶ *miseresco, miseror, miseret me;* 359, 48 λευκανθίζω *albesco, albeo*; 437, 9 στενάζω *gemo, gemesco;* 437, 32 στέρομαι *caro, caresco privor;* II 375, 21 νεάζω *iuvenesco* (Gr. L. I 252, 24 *item iuvenesco non habet iuveneo*); II 263, 14 γηρῶ *seneo;* 263, 15 γηράσκω *anesco, senesco* (Gr. L. I. 252, 24 *senesco autem nunc in usu est frequens, apud antiquos tamen et seneo dicebatur*); 470, 54 φθείνω *tabeo tabesco;* 307, 9 ἐπιβαρῶ *adgravo, ingravo, ingravesco;* 244, 3 ἀργεύω *pigreo, pigresco, cesso, facio*; 431, 32 σικχαίνομαι *taedeo taedesco;* 455, 3 τήκομαι *marceo marcesco liquor, tabesco liquefio, liquesco* e. q. s.

Deinde addamus pauca de impersonalibus: C. Gl. L. II 415, 20 πρέπει *decet;* 244, 20 ἀρέσκει *libet, placet*; 323, 37 ἡδύ ἐστιν *libet; licet* (II 303, 7; 298, 6; 285, 31; 269, 9); *oportet* (II 267, 4; δεῖ *convenit, oportet*; 478, 25 χρή idem; 284, 38 ἔδει *oportebat, oportuit*); *paenitet* (II 369, 14 μεταμέλει); 369, 15 μεταμέλομαι *paenitet me*); *pudet me* (I 221, 15 αἰσχύνομαι; 220, 19 αἰδοῦμαι); II 295, 14 ἐλεῶ *miseresco, miseror, miseret me*; II 381, 37 ὀκνῶ *piget me, pigeo, pigor;* II 398, 12 παρ[έπ]εται *accidit;* II 441, 40 συμβαίνει *evenit, accidit, contingit; expedit* (II 441, 42 συμβάλλεται; *expedit* II 443, 14 συμφέρει; 363, 25 λυσιτελεῖ).

Quod ad frequentativa attinet, ex permultis glossis, in quibus eiusmodi verba exstant, nonnullas eligo: C. Gl. L. II 266, 17 δαμάζω *domito domo;* 309, 10 ἐπικτυπῶ *increpo, increpito*; 333, 8 ἵπταμαι *volo, volito;* 411, 45 ποιῶ *factito, facio;* 415, 16 πράττω *ago, actito, gero;* 415, 17 πραΰνω *leno lenito mitigo;* 425, 45 πτοῶ *terreo, territo*; 463, 48 ὑπελαύνω *subago, subagito.*

Omnia haec verba, quae nunc contuli, vix nobis persuaderent Pseudocyrillum ex his quoque capitibus grammaticorum hausisse, nisi convenientia, quae prima parte huius paragraphi efficitur, tam mira esset, ut fortuita esse non possit. Quae cum ita sint, censeo etiam his exemplis ipsis originem grammaticam confirmari. Verborum autem idiomata, quae Charisius tradit, quoniam et omnibus interpretamentis Graecis carent nec ullum gravem cum glossis consensum ostendunt, mihi accuratius hic tractanda esse nego.

Forsitan credas Pseudophiloxeni scripta cum Pseudocyrillo coniuncta esse: nam satis magnus numerus glossarum utriusque auctoris congruunt. Sed errabis: nam etsi dubitari non potest, quin Pseudophiloxenus Charisium vel alium eiusmodi grammaticum secutus sit, tamen ex discrepantia reliquarum glossarum facile intellegemus affinitatem horum duorum lexicographorum statuendam non esse.

§ 8. Tria genera vocabulorum, adverbia, coniunctiones, interiectiones, quae arte inter se coniuncta sunt, hac paragrapho pertractanda mihi proposui. Quae si ex glossario latinograeco fluxissent, haud dubie apud Pseudocyrillum multo minor copia adverbiorum, in quibus grammatici et coniunctiones et interiectiones numerant, exstaret, quoniam Pseudophiloxenus non permultas tales glossas praebet. Cum igitur hoc quoque loco consensio utriusque glossarii non inveniatur, quae necessitudinem nobis affirmet, iterum artes grammaticas inspiciamus.

Tres diversi loci occurrunt, qui lexicographo utiles esse potuerunt, scil. Gr. L. I 180, 28 — 181, 16; 186, 30 — 190, 7; 404, 3 — 404, 32. Primi loci finem faciunt haec verba: *et haec quidem breviter Cominianus grammaticus disseruit. alii autem per eadem aut eo amplius processerunt sic.* Vocabulum *breviter* Marschall eo rettulit, quod Cominianus tantum unum exemplum uni cuique adverbiorum speciei addidisset. Ego quidem mihi persuasi hoc *breviter* non ad exempla, sed ad totam rem tractatam pertinere, praesertim cum Cominiani verba locus continuus sequatur (Gr. L. I 181, 17 — 186, 29), quem Palaemonis verbis (p. 186, 30 ss.) repugnare appareat. Nam quod Marschall illa (p. 181 ss.) Palaemoni tribuit, ei assentiri non possum, quoniam verba *aliis de adverbiis longius disserere placuit* (p. 186, 30), a quibus Remmii praecepta initium ducunt, Charisius parti an-

tecedenti opponit, ubi legimus: *alii autem per eadem aut eo amplius processerunt sic.* Item nego his perpaucis dictis (p. 180, 28—181, 16) omnia Cominiani *de adverbio* praecepta data esse. Charisius enim cum intellegeret Cominianum et Palaemonem saepissime ita ad verbum convenire, ut illum neglegi posse existimaret, hic et aliis locis brevissime de eius arte agebat. Magni momenti est quod etiam Diomedes hac in re tractanda Remmium Palaemonem se secutum esse profitetur, ut optime exquirere possimus, quos locos Remmii Palaemonis modo Charisius modo Diomedes modo Cominianus praetermiserit. Exceptis nonnullis exiguis differentiis etiam dispositio ipsa singulorum grammaticorum congruit. Aegre ferendum est, quod maior numerus eorum adverbiorum quae ad adiectiva referuntur non exstat. Quam olim non defuisse inde cognoscimus, quod, cum Charisius et Diomedes pauca proferant, C. Iulius Romanus permulta talia adverbia tradit. Romanus etsi Remmio Palaemone fonte usus est, cuius cum ordine etiam initium eius artis consentit, tamen multo plura illo exempla enumerat. Ceterum Charisius eius longas explicationes testimoniis scriptorum ornatas tanti fecisse videtur, ut postquam primum Cominiani, Romani, Palaemonis sententias communes simul tradiderit, magna ex parte Romani disputationibus amplioribus usus sit. Sed Marschall cum Palaemonis artem restituere studeat ex Romani verbis, huic nimium honorem habere iam supra explicavi; at similem partem a Palaemone compositam esse arbitror, quae cum illis dictis conferri possit et talia adverbia qualia sunt *sincere, licenter, prospere, vero, nihilo, certo, certe* praebuisse videatur.

Hac in re tractanda Dosithei quoque artem grammaticam inspiciam quae cum plura exempla tum interpretamenta Graeca nobis exhibet. Etiamsi appareat ne Dositheum quidem merum fontem Palaemonem tradere, tamen ad rem nostram quaerendam magnam vim habere mihi videtur.

Haud dubie statuendum est Pseudocyrillum et ipsum complures glossas composuisse vel certe ex fontibus, quos supra pertractavi, hausisse, unde ea adverbia, quae in grammaticorum scriptis desunt, ut *articulatim, particulatim, certatim, generatim, quadratim, capitulatim* per analogiam ab auctore effecta sint. Nunc exemplis ea, quae explicavi, confirmabo; illa autem adverbia,

quae Graecum interpretamentum praebent, ex Dosithei arte fluxerunt: In glossis igitur graecolatinis perinde atque apud grammaticos haec adverbia proferuntur: *gradatim, paulatim* ἐκ τοῦ πρὸς ὀλίγον (II 293, 20), *adfatim, catervatim, copulatim, carptim* δρεπτικῶς (II 280, 61); *caesim* πληκτικῶς (II 409, 39), *raptim, cursim* τροχαλῶς (ἐπὶ δρόμου II 460, 20), *separatim* κεχωρισμένως (II 348, 52), *strictim* ἐσφιγμένως (II 315, 36), *minutatim, minutim* κατὰ λεπτόν (II 341, 48), *sensim, furtim, statim* εὐθέως (II 317, 19), *partim* ἐκ μέρους (II 291, 44), *pedetemptim* κατὰ προχώρησιν (II 343, 17), ἠρέμα (II 325, 40), *privatim, singulatim, viritim, turmatim, membratim, continuatim* συνεχῶς (II 445, 58), *gregatim* ἀγεληδόν (II 216, 15), *summatim, passim* πανταχοῦ (II 393, 39), *praesertim* ἐξαιρέτως (II 301, 32); *funditus* θεμελιόθεν (II 327, 21), *caelitus* οὐρανόθεν (II 390, 10), *humanitus* ἀνθρωπόθεν (II 227, 45), *stirpitus* ῥιζόθεν (II 428, 8), *mordicus* ὀδάξ (ἐπίρρημα II 379, 4); *consulto* ἐπίτηδες (II 311, 58), *tuto* ἀσφαλῶς (II 249, 18), *supervacuo* μάτην (II 365, 29), *cito* ταχέως (II 452, 17), *secreto* κατ' ἰδίαν (II 335, 15), *bipertito, tripertito, quadripertito, fortuito* τυχηρῶς (II 461, 20), *continuo* εὐθέως (II 317, 19), *clanculo, clandestino* λάθρα (II 358, 3), *matutino, gratuito, primo* πρώτως (II 425, 20), *secundo, tertio, profecto* δηλαδή (II 269, 9), *omnino* παντελῶς (II 393, 40), *ultro* αὐθαιρέτως (II 250, 48), *subito, raro* σπανίως (II 435, 16), *merito* δικαίως (II 277, 27), ἀξίως (II 232, 8), [*immerito* ἀναξίως, *otio* ἀ μ ε λ ῶ ς], — *clam* λάθρα (II 358, 3), *nequaquam* μάτην (II 365, 29); *palam* φανερῶς (II 470, 2), *obviam* ἐξ ἐναντίας (II 302, 58), *bifariam* διχῶς (II 279, 31), *trifariam* (II 459, 63), *quadrifariam* τετραχῶς (II 454, 30), *perperam* προπετῶς (II 419, 51); — *dictu* τῷ λέγεσθαι (II 461, 24), — *temere* προπετῶς (II 419, 51), *abunde* πολυτελῶς (II 413, 7), *iure* δικαίως (II 277, 27), *obiter* ἐν τῷ αὐτῷ (II 300, 55). Praeterea addamus pauca exempla aliorum grammaticorum II 477, 1 χθές *heri* (62, 39; 68, 35), *nuper:* II 297, 14 ἔναγχος (135, 26), 376, 9 νεωστί (135, 26); 424, 52 πρώην, 423, 23 προσφάτως, 419, 14 πρὸ μικροῦ, II 416, 37 προβραχέως, II 465, 44 ὑπόγυον; *hic:* 300, 16 ἐνταῦθα (68, 39); 481, 48 ὧδε; 299, 8 ἐνθάδε — *semel* 233, 10 ἅπαξ; *bis* 278, 49 δίς; *centies* 288, 51 ἑκατοντάκις, — *non* 390, 42 οὐχί, *etiam* 335, 50 καί, *velim* 482, 63 ὤφελον εὐκτικὸν ἐπίρρημα, *deinde* II 287, 63 εἶτα; — *quasi:* II 334, 33 καθάπερ, 482, 45 ὥσπερ; — *simul* II 383, 17 ὁμοθυμαδόν,

333, 52 ἴσως ὅ ἐστιν ἐφ' ἴσης *forte*; II 461, 20 τυχηρῶς, 344, 45 κατὰ τύχην.

Sufficiunt haec exempla, quibus simul differentia Pseudophiloxeni et Pseudocyrilli ostenditur. Neque vero illae glossae solae nobis persuadere possunt affinitatem grammaticorum et glossarii exstare; accedit quod, si neglegimus compluria lemmata annotatione ἐπίρρημα praedita esse, quae ipsa ad aliquam artem spectare videtur, in glossa (C Gl. L. II 482, 63) ὤφελον εὐκτικὸν ἐπίρρημα *velim* additamentum omnino verbis Latinis *adverbium optandi* respondet et pertinet ad eam dispositionem, quam Cominianus, Palaemon, Diomedes, Dositheus secuti sunt. Quae cum ita sint, hac quoque re effici censeo Pseudocyrillum in glossario componendo arte grammatica usum esse, quae certe cum Remmii scriptis cohaerere videatur.

Quod ad coniunctiones attinet, quae perinde atque interiectiones separatim a grammaticis tractantur, paucis verbis contentus esse possum; nam et multae coniunctiones iam inter adverbia prolatae sunt et nobis hic neque annotationes neque alia re singulares glossae occurrunt. Comparatio autem artis grammaticae et glossarii nos docet paene omnes coniunctiones, quas auctor recepit, cum grammaticorum exemplis congruere.

Interiectiones etiamsi ad eam quam tractamus quaestionem minus graves sunt, tamen ad eandem originem atque cetera vocabulorum genera revocandae esse mihi videntur. Etiam in hoc capite Charisius trium auctorum sententias commemorat, qua in re iterum Cominianus et Palaemon brevissime perstringuntur, cum Romanus multo copiosius tractetur. Optimum autem esse existimo utrumque auctorem Cominianum et Palaemonem coniungi, ut eum fontem restituamus, qui omnibus his scriptis subsit; eodem autem Pseudocyrillus spectat, qui omnia exempla praebet, quae nunc enumerabo: *heu* (II 470, 58 φεῦ, 481, 52 ἀή [*eheu*]); *hem* (II 282, 56 ἔα ἐπίρρημα, 455, 22 τί), *hem* (haud scio an exstet in glossa II 282, 57 *he em* ἔα ἔα), [*chem*], *eho* (II 286, 17 εἰπέ, 334, 20 ἰών, ἰών, II 268, 55 δεῦρο, ὧδε *ehodum*); [*hoe*], *babae* (βαβαί II 255, 11), *papae* (II 394, 1 παπαί *papae attat*), *at, attatae* (II 482, 23 ὢ πόποι *attat*).

Videmus etiam in hac paragrapho nihil afferri, quod obsistat eis, quae antea exposuimus. Romani autem verba ad hanc quaestionem diiudicandam nihil valere apparet.

§ 9. Quoniam praepositiones a Pseudocyrillo copiosius quam a Pseudophiloxeno tractantur, ne hae quidem ex glossis latinograecis petitae esse videntur, ut statim ad grammaticorum scripta illustranda transire possim. Inprimis autem ad originem grammaticam pertinent glossae hae: C. Gl. L. II 468, 18/17 ὑπὸ τὴν θάλασσαν *subter mare* et ὑπὸ τὴν κλίνην *subtus lectum*; C. Gl. L. II 465, 23: ὑπὸ *sub, suptus, suptus lectum, supter, supter mare.* Quae omnino Cominiani (230, 20) verbis respondent: *subter, subter mare, subtus, subtus lectum.* Porro autem nemo praeter Cominianum *a, ab, abs, absque* simul enumerat, unde auctor glossas II 394, 5 παρὰ *apud, absque, ab, penes* et II 235, 40 ἀπό *a, ab, abs, dis* sumpsisse mihi videtur. Mirum est quod haec pars Palaemonis artis a Charisio praetermissa est; sed plures glossae inveniuntur, quae nobis persuadeant, fontem ex quo Pseudocyrillus hausit et Cominiani materiem et verba a Charisio Remmio Palaemoni assignata praebuisse. Profecto nos hic optime iuvat, quod Charisius etiam ceteras observationes, quae *apud Palaemonem penitus digestae sunt,* tradit. Ergo inspiciamus illam partem huius capitis.

Legimus Gr. L. I 233, 23 de praepositione *per* haec: *item accipitur pro eo cum nostra voluntate iure iurando adfirmamus aut negamus: μὰ τοὺς θεούς, νὴ τοὺς θεούς, ut Graeci dicunt*; quibus verbis hae glossae respondent: II 365, 30 μὰ τόν *per;* 376, 28 νὴ τὸν ἐπὶ ὅρκου *per.* — Secuntur haec: *item accipitur etiam pro eo, quod est valde, velut cum dicimus perdoctus, id est valde doctus, quod est doctissimus, praeponitur autem absolutivis. ergo ut scio sequi veteres, peroptumus non dicimus;* quae verba conferas cum his glossis: II 360, 39 λίαν *per, admodum, perquam, valde*; 393, 53 πάνυ *admodum, per, prae, nimium, valde.* — Gr. L. I 234, 29: *item abs: haec fere praepositio hoc modo profertur, ut dicamus abs te; abs me, abs illo non dicitur;* cf. C. Gl. L. II 240, 40 ἀπὸ σοῦ *abs te.* — Gr. L. I 235, 5—10: *significat etiam aliquando derogationem, id est στέρησιν, cum dicimus profanus lucus, id est non sacer, quasi porro a fano positus, quod Graeci βέβηλον dicunt* (C. Gl. L. II 256, 59 βέβηλος *profanus, pollutus*). *Significat etiam σχετλιασμόν, cum animus movetur, pro deum atque hominum fidem* aut *pro di immortales, qui hic inluxit dies!* (II 423, 9 πρὸς τῆς τῶν θεῶν *pro deum*). *Item quod apud Graecos κατά dicitur, quasi pro meis viribus κατὰ τὴν ἐμὴν δύναμιν* (II 340, 28 κατὰ δύναμιν *pro*

viribus). — *Item praepraepositio diversas habet significationes, accipitur enim pro valde* . . . (II 393, 53 *πάνυ admodum, per, prae, nimium, valde*).

Quibus exemplis arbitror satis effici necessitudinem Charisii capitis quinti decimi libri secundi et glossarum graecolatinarum exstare. Itaque hic fons Pseudophiloxeno longe praeferendus est. Sed cum Charisius neque Palaemonis neque Cominiani dicta nobis ad verbum reddidisse videatur, uterque grammaticus contemnendus est et Palaemon vel similis grammaticus, idem, ad quem Charisii ars referri potest, fons maximae partis harum praepositionum existimandus est.

§ 10. De gradibus comparationis sive collationis. Huius capitis verba, si exiguas differentias ut *bellus,* quod Charisius non praebet, omittimus, apud Charisium et anonymum Bobiensem ita inter se conveniunt, ut dubium non sit, quin ad communem fontem redeant. Sed cum glossae inveniantur, quae cum grammaticorum praeceptis congruere non videntur, priusquam Pseudocyrilli et illorum virorum doctorum verba comparem, perscrutabor, utrum hae differentiae ipsae forsitan ad affinitatem Pseudocyrilli et Pseudophiloxeni spectent. Legimus enim apud Charisium (Gr. L. I 113, 19): *observabimus tamen, quod ipsum iam adnotavimus, nomina tantum in comparationibus versari, non etiam participia.* Cui sententiae repugnant in glossario *amantissimus* et *perfectissimus,* etsi consuetudine fere nominis loco habentur. Num Pseudophiloxenus item ac Pseudocyrillus has glossas praebet? Minime. Invenimus in scriptis horum glossographorum omnino haec: *amantissimus* Ps.-C. II 215, 48 *ἀγαπητός*, 423, 31 *προσφίλτατος*, 472, 3 *φίλτατος*; *perfectius* Ps.-C. II 452, 51 *τελειότερον*; *perfectissimus* Ps.-Ph. II 146, 54 *ἀξιολογώτατος*; Ps.-C. 274, 8 *διασημότατος*. Sed etiam alias glossas comparemus, quae apud Pseudophiloxenum non apparent: *ditior* C. Gl. L. II 410, 23 *πλουσιώτερος* (*ditissimus πλουσιώτατος* et Ps.-Ph. II 53, 4 et Ps.-C. II 410, 24 praebent); *satius* Ps.-C. II 331, 48 *ἱκανώτερον* (Ps.-Ph. II 179, 8 *ἄμεινον*); *ocior* Ps.-C. II 481, 62 *ὠκύτερος*; *ocissimus* Ps.-C. II 384, 62 *ὀξύτατος*; *ocius:* Ps.-C. II 326, 41 *θᾶσσον*, 384, 64 *ὀξύτερος*, cum *ταχύτερον* in utroque glossario invenias; *rectissimus* Ps.-C. II 386, 35 *ὀρθότατος*; *stabilissimus* Ps.-C. II 437, 35 *στερρότατος*; *velocius* II 452, 23 *ταχύτερον*; 326, 41 *θᾶσσον*; 481, 61 *ὠκύτερον*;

velocissimus Ps.-C. II 452, 25 ταχύτατος; 481, 60 ὠκύτατος. — Pariter differunt *gravissimus, temperatissime, altissimus* e. q. s.

Postquam his exemplis docui in quaestione quae est de comparationis gradibus nullum consensum effici posse, nunc grammaticorum dicta persequamur. Caput Charisii (Gr. L. I 112, 13 — 116, 28), quod ad Remmium Palaemonem referendum esse Marschall exposuit, cum fere omnibus verbis anonymi Bobiensis (Gr. L. I 555, 30 — 557, 2) convenit. Quamvis exiguae differentiae anonymi et Charisii exstent, tamen ille fontem diligentius sequi videtur ita, ut eius dicta praeponam. Sed praetermittamus hac in re tractanda constantis comparationis regulas, quas grammaticus ipse paucis exemplis illustrat, et tantum exceptiones respiciamus.

Scribit autem anonymus (Gr. L. I 556): *quaedam ut supra diximus primum et secundum gradum recipiunt ut senex* (C. Gl. L. II 415, 28 πρεσβύτης), *senior* (II 415, 29 πρεσβύτερος); *iuvenis* (II 375, 48 νέος ἄνθρωπος); *iunior* (II 94, 12; 376, 10 νεώτερος); *quaedam secundum et tertium, ut ulterior* (II 414, 6 πορρώτερος; 298, 19 ἐνδότερος); *ultimus* (II 210, 34; in glossario nostro deest); *potior* (II 354, 61; 257, 12), *potissimus* (II 220, 48; 364, 35), *interior* (II 315, 46; 298, 19). Huc addamus, quae Diomedes (Gr. L. I 408, 4) explicavit: *haec adverbia prototypum non habent: post, posterior, postumus; supra, superior, intra, interior, intimus, extra, exterior, extremus, ultra, ulterior, ultimus, citra citerior, superlativum non habet; penitus, penitissimus.* Quae verba ex Remmii Palaemonis arte fluxisse mihi verisimillimum est, quamquam Charisius, quocum antecedentia congruunt, ea omittit et eorum loco (Gr. L. I 189, 25) Varronis sententiam ita affert: *Varro sic ait in III περὶ χαρακτήρων propius, proxime.* Anonymus Bobiensis fere eandem lectionem quam Diomedes praebet (Gr. L. I 556, 54). Superlativa autem atque comparativa a Diomede commemorata exceptis *ultimus* et *citerior* omnia apud Pseudocyrillum inveniuntur. Haud scio an haec duo vocabula praetermittantur, quia in fine collationis exstant.

Sed plura de anonymi verbis: *quaedam primum et tertium ut bellus* (II 248, 31), *bellissimus* (II 353, 1), *fidus* (?), *fidissimus* (II 408, 21); *pius* (II 319, 28), *piissimus* (II 319, 31), *cuius secunda declinatio magis, magis bellus* (II 352, 57), *magis pius* (II 319, 30), [*magis fidus* II 408, 20].

Etiam comparationis gradus vocabulorum *bonus, malus, magnus* respondent grammaticorum sententiae, aeque ac *multus, plus, plurimus* et *parvus, minor, minimus,* quorum neutrum a grammatico in hoc caput receptum esse maxime mirum esse mihi videtur.

Quod vero comparationis gradus vocabulorum *rudis, proprius, sobrius* neglexit, auctorem haec omisisse censeo, quoniam has species nominum ut *magis rudis* e. q. s. puras esse negaret, sed *magis bellus, magis fidus, magis pius* reddidisse, cum *bellissimus, fidissimus, piissimus* reciperet et hoc modo comparationis gradus suppleret. Glossam autem πρεπωδέστερον *magis decorum* (C. Gl. L. II 415, 23) ex alio exemplari Pseudocyrillum protulisse mihi verisimillimum est.

Item grammatici regulam: *sed ex his quae e ante us aut i habent comparationes fieri non possunt,* ab eo servatum esse dico: nam nihil contrarii animadverti. Haud scio an credas, quia in glossario nomen *celerissimus* invenis, ibi auctorem artem grammaticam neglexisse. Sed cum praeterea *celerrimus* legamus, verisimillimum est Pseudocyrillum, qui neglegenter pulcher, pulcherrimus, non pulcherissimus legendo percurreret, vocabulum *non* praeterisse. Ceterum eum omnes regulas a grammatico allatas respexisse censeo. Praebent enim glossae graecolatinae: II 333, 46 ἰσχυρῶς *naviter;* 227, 44 ἀνθρωπίνως *humaniter;* 266, 54 δαψιλῶς *impense, large, prolixe, largiter, adfatim, abunde.* Etiamsi non omnia anonymi exempla inter glossas inveniantur, vix tamen habemus, cur consensum quem modo effecimus reiciamus, praesertim cum excepto eo, quod nomina *difficilius, difficillime, repentius, repentissime* et compluria adverbia omisit et *faciliter* (cf. *celerissimus*) profert, Pseudocyrillus *facile, facilius, facillime, difficile, satis, satius* offerat.

§ 11. Si dispositionem Charisii sequimur, proximum caput, quod ad ea, quae proposuimus, exquirenda pertinet, secundi libri caput septimum (Gr. L. I 157, 23 — 164, 11) est quod de pronomine inscribitur. Profecto in glossario tanta copia pronominum invenitur, ut dubium non sit, quin etiam tales glossae in origine glossarum eruenda magni momenti sint. Perinde ac graecolatinae etiam latinograecae glossae permulta pronomina receperunt, unde cognosci possit, quam consentaneum sit nos affinitatem horum duorum glossariorum examinare. Itaque diversis exemplis pronominum nunc docebo, quot glossae inter se differant vel consen-

tiant. Initium facio a pronominibus personalibus; Pseudophiloxeni autem locos uncis includam, quo melius eorum necessitudinem perspiciamus. *Ego:* II 284, 31 ἐγώ *ego* (II 58, 24); 373, 28 μοῦ *mei;* [ἐμοί *mihi* II 129, 30], 296, 4 ἐμέ *me;* 276, 26 δι' ἐμαυτοῦ *per me;* 324, 20 ἡμεῖς *nos;* [ἡμῶν *nostrum*]; [*nobis* ἡμῖν, σὺν ἡμῖν II 134, 13]; 324, 17 ἡμᾶς *nos; Tu:* [σύ *tu*]; II 434, 61 σοῦ *tui;* II 434, 55 σοί *tibi* (II 198, 21); 430, 15 σέ *te;* 462, 55 ὑμεῖς *vos;* 462, 64 ὑμῶν *vestrum;* 462, 59 ὑμῖν *vobis* [II 211, 11); 462, 53 ὑμᾶς *vos* (211, 32). — Pron. reflex.: II 457, 45 τοῦ ἰδίου *sui; sibi* 283, 7 ἑαυτῷ, 283, 8 ἑαυτῇ; *se:* 283, 3 ἑαυτόν, 283, 4 ἑαυτήν, 283, 5 ἑαυτό; *sibi:* 283, 9 ἑαυτοῖς, 283, 10 ἑαυταῖς; *se* 283, 6 ἑαυτούς [II 183, 24 sibi ἑαυτῷ καὶ αὐτοῖς καὶ ϑηλικῶς; 180, 50 se ἑαυτὸν, ἑαυτούς]. — Hic etiam illa pronomina personalia inseram, quibus particulae *met, met ipsum, apte* adduntur et pariter ac Diomedes (cf. Gr. L. I 332, 12) pronomina cum praepositione *cum* composita, etsi Charisius grammaticus (cf. Gr. L. I 188, 28) in adverbiis numerat et adverbia personalia nominat. I. pers.: *egomet:* II 284, 32 ἐγὼ αὐτός; 284, 33 ἐγὼ αὐτή [II 58, 28 ἔγωγε] — *egomet ipse:* 284, 32 ἐγὼ αὐτός; — [*mihi met*]; — *memet:* 295, 44 ἐμαυτόν, 296, 4 ἐμέ; — [*nosmet:* II 134, 31 ἡμεῖς αὐτοί]; — [*nobismet*]; — *nosmet:* 324, 18 ἡμᾶς αὐτούς; — *nosmet ipsos:* 324, 18; — *mecum:* μετ' ἐμοῦ [128, 19 μετ' ἐμοῦ, σὺν ἐμοί] — *nobiscum:* 366, 22 μεϑ' ἡμῶν. — II. pers.: [*tumet*]; — [*tibimet*]; — *temet:* II 430, 16 σεαυτόν; — *tumet ipse:* 439, 39 σὺ αὐτός; — *temet ipsum:* 430, 16; — [*vosmet*]; — [*vobismet*]; — [*vosmet*]; *vosmet ipsos:* 462, 54 ὑμᾶς αὐτούς — *tecum:* 343, 40 κατὰ σαυτόν; — 369, 39 μετὰ σοῦ [II 195, 51 σὺν σοί] — *vobiscum:* II 366, 34 μεϑ' ὑμῶν. — III. pers.: *sibimet, sibimet ipsi:* II 283, 7 ἑαυτῷ — [181, 51 *semet* αὐτός, ἑαυτόν]; — *semet ipsum:* 283, 3 ἑαυτόν; — *sibimet:* II 449, 37 σφίσιν αὐτοῖς — *semet:* 283, 6 ἑαυτούς; — *semet ipsos:* 283, 6; 449, 21 σφᾶς αὐτούς; — *secum:* II 334, 49 καϑ' ἑαυτόν; 334, 50 καϑ' ἑαυτήν, 366, 19 μεϑ' ἑαυτοῦ; 366, 20 μεϑ' ἑαυτῆς.

Quibus allatis tantum pronomina: *hic, qui, alteruter, uterque* addam: *hic:* II 390, 32 οὗτος (II 68, 39), — *haec:* 251, 31 αὕτη (68, 4), — *hoc:* II 457, 49 τοῦτο [69, 6]; — *huius:* 457, 54 τούτου (69, 32) — [*hunc* τοῦτον 69, 39]; — *hac:* 452, 6 ταύτῃ; — *hi:* 390, 33 οὗτοι (68, 38), — *hae:* 251, 21 αὗται *hae, eae* [67, 45 *hae* ταῦται]; — *haec:* 452, 5 ταῦτα [67, 44]; — *harum:* 458, 4

τούτων. — *qui*: II 387, 47 ὅς; 388, 21 ὅστις — [*quae*] — *quod*: 385, 6 ὅπερ; — *cuius*: 390, 30 οὗτινος; 325, 53 ἧςτινος; — *cui*: 325, 61 ᾗτινι; 483, 53 ᾧτινι *quo, cui*; — *quem*: 384, 27 ὅντινα — *quorum*: II 482, 14 ὧν *quorum, quibus*; II 482, 18 ὧντινων *quorum*, — *quibus*: 220, 51 αἷς, 221, 3 αἷστισι, — *quibus autem* αἷστισι ἄν 221, 4; — *quos*: 390, 26 οὕστινας (168, 23); 390, 22 οὕς (168, 23) ἀντωνυμία; — *quas* II 247, 10 ἅς; 248, 40 ἅστινας. — *alteruter*: II 326, 39 θάτερος; 385, 62 ὁπότερος — *alterutrum*: 326, 40 θάτερον [II 15, 21 θάτερον, ὁπότερον]; — *uterque* II 288, 41 ἑκάτερος (212, 17); — *utraque*: 288, 46 ἑκατέρα; — *utrumque*: 288, 41 ἑκάτερον [212, 33 παροπότερον]; — *utriusque*: 288, 42 ἑκατέρου; — *utroque*: 288, 43 ἑκατέρῳ; — [*utrique*: 212, 35 ἑκάτεροι; 212, 32 ἀμφότεροι ἐκ πολλῶν].

Qua ex collatione pronominum, quorum multo maiorem copiam proferre potui, facile intellegimus, quam varie et Pseudocyrillus et Pseudophiloxenus hoc genus vocabulorum tractaverint, ut nullo modo inde affinitas utriusque glossarii efficiatur. Dicas vero differentiam singulorum pronominum eo referendam esse, quod alterae glossae graecolatinae sint, latinograecae alterae, auctores autem ea Graeca vel Latina lemmata respexerint, quae grammaticorum regulam non sequantur. Sed qua de causa, ut exemplo utar, Pseudophiloxenus pronomina possessiva exceptis ὑμέτερον et ἡμέτερον praetermiserit? Item pronomen relativum et interrogativum tam varie tractari non potuit, si utrumque glossarium cohaereret. Denique interpretamenta μετὰ σοῦ et κατὰ σαυτόν lemmatis *tecum* affinitati Pseudocyrilli et Pseudophiloxeni repugnant, cum hic tantum *tecum* σὺν σοί praebeat. Haud scio an uterque auctor eadem arte grammatica adductus sit, ut etiam pronomina permulta in glossarium suum reciperet. Neque vero fons ipse ex quo Pseudocyrillus hausit scio an in his pronominibus non exploretur, quoniam Charisii caput septimum libri secundi corruptum est et omnes grammatici, quorum scripta ad nos pervenerunt, idem nobis argumentum tradunt; nisi forte una cum viro docto C. Marschall dicemus hunc consensum docere illorum grammaticorum scripta ex arte vel Remmii Palaemonis vel certe docti hominis cum eo affinitate arte coniuncti fluxisse: unde facile concludi possit etiam pronomina glossarum graecolatinarum, quae permulta sunt et cum pronominibus a grammaticis allatis consentiunt, ad Remmium Palaemonem revocanda esse.

§ 12. Quoniam videor his paragraphis praecepta grammaticorum et Pseudocyrilli satis diligenter comparavisse, unde cognoscamus artem nec Charisii nec alius cuiusdam illorum grammaticorum, quos nunc habemus, glossarum nostrarum fontem fuisse, sed artes et glossarium ad eandem originem revocanda esse, nunc etiam alio argumento sententiam meam confirmare studebo. Accedunt enim testimonia scriptorum, quae annotationes grammaticas continere quis est qui nesciat? Haec testimonia, quae permulta inter glossas adsunt, hic optime inserenda esse arbitror, quia et illorum hominum doctorum praecepta confirmant et in eorum quoque scriptis saepissime apparent. Iam in illa paragrapho, qua de nominum idiomatibus egi, scriptorum documenta commemoravi, ut affinitatem illius capitis Charisii et glossarum graecolatinarum demonstrarem. Etiamsi illa verba ab his testibus secernenda esse ostenderim, quoniam scriptorum locos postea tractaturus eram, tamen ea, quae tum intelleximus, etiam nunc nobis respicienda sunt.

Vidimus enim Charisii caput, ut Marschall in dissertatione sagaciter exposuit, ad Remmium Palaemonem referendum esse. Eo magis cupiemus exquirere, unde Pseudocyrillus eas glossas petiverit, quae poetae alicuius versum vel scriptoris sententiam proferunt. Item hi loci scriptorum semper ea interpretamenta ad quae spectant illustrant. Sed antequam rem tractem, omnes eiusmodi glossas enumerabo: C. Gl. L. II 220, 53 αἴσθησις *hic sensus, hic intellectus, linea. Terentius Eunucho* (640 ss.) *certe extrema linea amare aut nihil est;* — II 242, 50 ἄποψις *hic aspectus, conspectus, prospectus, suspectus, ut Vergilius lib. VI* (579): *quantum ad aetherium caeli suspectus Olympum;* — 246, 14 ἀρτοκοπικὸν ἐργαλεῖον *cerealium Virg.: in primo libro Aeneidos* (177): *cerealiaque arma;* — 255, 42 βαλλομένων *ductis Vergilius VI Aeneidos* (v. 22): *ductis sortibus;* — 264, 43 γοργός *agilis, pernix ut Virg. Georgicon III libro* (93); — 270, 36 διάγω ἀντὶ τοῦ διατρίβω *dego, moro, egero, falsa inter gaudia noctem egerimus Virg. lib. VI* (514); — 279, 28 διχοστατῶ *dissideo. Cicero pro M. Marcello: sed armis etiam ⟨et⟩ castris dissidebamus* (c. X); — 280, 23 δός *da, cedo; Terentius Phormione: quin tu mihi argentum cedo* (935); — 285, 43 εἴκοσι *viginti, vicenarum librarum auri multa ferietur;* — 286, 17 εἰπέ *dic memora eho cedo; Terentius Phormione* (197): *cedo quid portas;* — 286, 44 εἰσαγωγεύς *lator*

institutor; *Cicero* (Cat. IV 5, 10): *latorem Semproniae legis*; — 286, 60 εἰσενεχθέντα *rogatam*: *post hanc legem rogatam*; — 289, 33 ἔκδικος ὅ ἐστιν τιμωρός *ultor, ultus*; *Terentius Phormione* (189): *et senis essem ultus iracundiam*; — 290, 21 ἐκθλίβω *exprimo, confligo, elido, Virg. lib. VIII* (261): *elisos oculos*; — 294, 35 ἐλάχιστον *minutum, minimum, exiguum, argutum*: *Virg. Georgicon lib. III* (80) *argutumque caput*; — 294, 42 ἐλέγχω *refuto, arguo, redarguo, convinco, insimulabo*; *Cicero IV libro Catilinaria, quae Galli insimulabant, negavit*; — 306, 52 ἐπέχω *compesco, cohibeo, reprehendo, reprimo, coerceo, inhibeo, presso, comprimo Virg. VI* (389) *Aeneidos*: *et comprime gressum*; — II 311, 50 ἐπιτερπῆ *amoena Virg. lib. VI Aeneidos* (638): *et amoena virecta fortunatorum nemorum*; — 316, 35 εὐδία *hoc serenum serenitas, hoc sudum Virg. lib. VIII* (529): *per sudum rutilare vident*; — 317, 12 εὐθαλές *opimus, uber, virectum Virg. lib. VI* (638) *Aeneidos*: *et amoena virecta fortunatorum nemorum*; — 323, 44 ἡδύτης *suavitas, lepos*; *Sallustius* (Cat. 25, 5): *multusque lepos inerat*; — 329, 55 θυμιατήριον *turibulum, acerra, Virgilius libro V* (745): *farre pio et plena supplex veneratur acerra*; — 334, 35 καθέδρα *sella, sessio, cathedra, subsellium, Cicero in Catilinam* (I 7, 16): *partem istam subselliorum reliquerunt*; — 335, 23 καθειμένος ἐπὶ γενείου *promissus, promissaque barba. Virgilius in Bucolicis* (VIII 34); — 334, 19 κάλαμος ἤτοι αὐλὸς ποιμενικός *cicuta Virg. in Bucolicis* (V 85): *hactenus fragili donavimus ante cicuta*; — 339, 31 κάστανον *lopinum, castanum, Virg.*: *castaneaeque nuces* (Ecl. II 52); — 340, 7 καταβυθίζω *demergo, pessum do, Terentius Andriae* (208): *me aut erum pessum dabunt*; — 343, 1 καταπληκτικός *torbus* Virg. VI (571) *Aeneidos*: *torvosque sinistra intentans angues*; — 345, 37 κατ' ἐξουσίαν *licentius Virg. VII Aeneidos* (571): *errare licentius auras*; *licito*; — 348, 14 κεραυνωθείς *tactus*; *Virgilius libro Bucolicon* (I 17): *de caelo tactas*; — II 349, 40 κινηθεῖσα ὅ ἐστι ῥιφεῖσα *incita*; *Virgilius libro XII Aeneidos* (492): *apicem tamen incita summam* (!) *hasta tulit*; — 352, 55 κομψή *commoda, Terent. Heautontimor.* (521): *mulier commoda et faceta est*; — 353, 19 κοπετός *plangor, tunsus*; *tunsis ad sidera tollunt planctus* (Verg. Aen. XI, 37); — 353, 31 κόπτω ὅ ἐστι τέμνω *caedo praecido succido inspico Virg. Georgicon I* (292) *ferroque faces inspicat acuto*; — 353, 31 κορμὸς τὸ ξύλον *codex, caudex, Virg. V Georgicon*: *quin et caudicibus sectis*; — 354, 20 κούνιον τὸ σύστημα *cuneum*: *densi cuneis se quisque coactis* (Verg.

Aen. XII 457); — 354, 48 κρατῆρος εἶδος *cantharus, Virgilius in Bucolicis* (VI, 17); — 356, 18 κυανοῦν *caerulum, ferrugineum, claucum; Virgil. lib. VIII: glauco velabat amicto;* — 357, 49 κώπη *hic remus tonsa, Virgilius lib. VII* (28) *enim* (= *et in*) *lento luctantur marmore tonsae;* — 359, 30 λέπος ὀσπρίου *siliqua, Virgilius libro I* (74) *Georgicon: laetum siliqua quassante ligumen;* — 359, 39 λεπτοκαρύϊνον ἢ κρανέϊνον *colurnum Virg. Georgicon II* (396): *pinguiaque in veribus torrebimus exta colornis;* — 361, 60 λογίζομαι ὅ ἐστιν ἐνθυμοῦμαι *alterno, cogito, ineo consilium, animadverto, rebar. Virgil.: ducebam animo rebarque* (Aen. VI 690); — 365, 20 μάταιος *inanis, vanus, cassus, nebulo; Terentius Eunucho* (785): *sane quod tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est;* — 367, 57 μεριμνῶ *cogito, sollicito, satago; Terent. Heautontim.* (225): *si is quoque suarum rerum satagitat;* — 372, 62 μονογενής *unicus singularis ut Cicero* (Cat. III 15): *pro singulari eorum merito;* — 373, 54 μυκητής *fungus: et putres concrescere fungos* (Verg. Georg. I 392); — 390, 50 ὀφθαλμοί *lumina pluraliter declinabitur, sed Virgilius singulariter dixit* (Aen. III 663): *luminis effossi fluvidum lavit inde cruorem;* — 394, 15 παραγγελία *denuntiatio, condicio, interdictum; condicere est denuntiare prisca lingua, nunc vero condictionem omnem in personam actionem dicimus;* — 406, 4 παραχάραξις *circumductio, urbatio; urbo ab urbs appellata est, aburbare est a patria definire;* — 412, 59 πολυπραγμονῶ *sciscito, perconter; Terentius Eunucho* (294): *ubi investigem, quem perconter;* — 416, 24 πρόβατον *verbella, ovis, verbex; balatum vides ovium;* — II 423, 1 πρόσταγμα *proceptum, praeceptio, imperium; Terent. Heautontim.* (634): *Si meum imperium exequi voluisses;* — 430, 12 σαφῶς *evidenter, plane, aperte, palam, certo; Terent. Phormione* (953): *nisi me dixisse nemini id certo scio;* — 441, 48 συμβάλλω ἐν πολέμῳ *confligo, consero; Virg. lib. IX* (741): *incipe siqua animo virtus et consere dextram;* — 444, 39 σύνδενδρος *arbusculosus, ramosus, Virgilius in Bucolicis* (VII, 30): *Et ramosa Mico vivacis cornua cervi;* — 450, 16 σχοινίον *funes, restis, rudes, colum; Virgilius lib. Georgicon* (II 242): *colaque prelorum fumosis deripe tectis;* — II 455, 1 τῇ ἰδίᾳ δυνάμει ἐπὶ πράγματος ἤτοι δίκης *suo marte; et is suo marte percurrat* (Cic. Phil. II 95); — 457, 1 τόλμα *audacia, praesumptio, audentia; Cicero in Pisonem* (XXI 37); *Confer, si audes, audientiam tuam cum mea;* — 465, 34 ὑποβρύχιος *submersus, impessus: Terentius Andria: me aut erum impessum*

dabunt; — 472, 30 φλυαρῶ *arguto, garrio, blato, effutio; Terentius Phormione: Ne vos forte impudentes foris effuttiretis;* — 474, 37 χαίρων *gaudens, ovans, alacres Virg. VI Aeneidos* (685) *alacres palmas utrasque tetendit.*

Ei vero scriptores quos Pseudocyrillus affert eidem sunt, quos Remmium Palaemonem potissimum auctores probavisse Marschall exposuit, scilicet Vergilius, Plautus, Terentius, Cicero, sic ut ne haec quidem res sententiam meam infirmet. Neque vero ex omnibus illis glossis, quas supra contuli, ullae praeter tres apud grammaticos inveniuntur, quae hae sunt: C. Gl. L. II 359, 39 = Gr. L. I 266, 9; C. Gl. L. II 390, 50 = Gr. L. I 328, 11; C. Gl. L. II 474, 34 = Gr. L. I 82, 32. Consentaneum igitur est nos exquirere, num exempla scriptorum, quae Charisius nobis tradat, ad Remmium Palaemonem revocanda sint. Semel atque iterum exposui Iulii Romani quasi contraria esse Cominiani et Palaemonis verbis. Neque enim copia horum locorum vereor ne eadem fuerit, quia singula vocabula tam copiose quam Romanum, quem hac ipsa de causa a Charisio praelatum esse apparet, hos duos grammaticos tractavisse verisimile non est. Ego quidem nullo modo Carolo Marschall assentiri possum, qui fere omnes partes Romani ad Palaemonem refert, etiamsi illos viros affinitate coniunctos esse non negem. Sed censeo, quoniam glossae iam supra tractatae, quae poetarum locos continent, ad Palaemonis vel similis grammatici artem pertinent, etiam has annotationes grammaticas ex eodem fonte fluxisse, quem ad nos non pervenisse valde dolendum est. Certe statuere non possum Pseudocyrillum, qui haud scio an per se ipsum scriptoris exemplum protulerit, his in glossis componendis alium auctorem secutum esse, praesertim cum Remmium Palaemonem multos scriptorum locos praebuisse constet. Quae cum ita sint, hae quoque glossae nobis persuadent, etsi Charisius ipse glossarum graecolatinarum fons fuisse non possit, nihilominus concordiam illius et Pseudocyrilli ad originem glossarii exquirendam multum valere.

Vita.

Natus sum Maximilianus Ferdinandus Hoffmann in vico Aue a. d. XI. Kal. Oct. anni MDCCCLXXXIII patre Ottone, matre Hedwiga de gente Bulle, quos superstites esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Elementis litterarum a patre imbutus, cum hic pastor primarius ephorusque Camburgensis factus esset, huius oppidi scholam litterarum et progymnasium adii, quod cum puer tredecim annorum absolvissem, per quinque annos discipulus Christianei, gymnasii Isebergensis, fui. Maturitatis testimonium adeptus vere anni MCMII Ienam me contuli, ut studiis philologicis et historicis me dederem. Ibi per tria semestria me docuerunt viri doctissimi Goetz, Hirzel, Capeller, Gelzer, Delbrueck, Cartellieri, Mentz, Liebenam, Stoy, Eucken, Baentsch, Cloëtta; praeterea proseminarium philologicum frequentavi, cui deinceps Gelzer, Goetz, Hirzel professores praefuerunt. Tum autumno anni huius saeculi III Berolinum transmigravi, ubi audivi per duo semestria viros illustrissimos Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff, Helm, Diels, Rothstein, Ed. Meyer, Sternfeld, Delbrueck, Klebs, Schiemann, Thiele, Lasson, Paulsen, Harnack, Roethe, Winnefeld, Kekulé de Stradonitz, alios. Item interfui exercitationibus et philologicis et historicis. Autumno anni MCMIV Ienam reversus per tria semestria institutus sum a viris doctissimis Goetz, Hirzel, Delbrueck, Gelzer, Cartellieri, Mentz, Stoy, Graef, Eucken, Dinger. Extremum per annum domi versatus hac in dissertatione perficienda praecipue operam meam posui. Benignitate professorum Gelzer, Goetz, Hirzel mihi contigit, ut seminarii philologici Ienensis sodalis fierem. Item seminario historico a Gelzer et Cartellieri gubernato interesse mihi licuit. Omnibus his viris doctissimis gratias ago quam maximas, inprimis autem Georgio Goetz, qui studiorum meorum semper fautor fuit benevolentissimus.


3 0112 126250049